VINDICIÆ FIDEI, ET PIETATIS PROVINCIAE

PRO

CÆLITIBVS ILLIVS TVTELARIBV

RESTITVENDIS.

Aduerſus quoſdam libellos, quibus titulus eſt

Diſſertatio de commentitio Magdalenæ in Prouinciam appulſu,

ET

Diſquiſitio diſquiſitionis de Magdalena Maſſilienſi aduena.

Auctore HONORATO BOVCHE Doctore Theologo, & Præpoſito Sancti Iacobi.

Videbunt recti, & lætabuntur : & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Pſal. 106. 42.

Aquis-Sextijs, Typis Ioannis Roize, ad Plateam Patrum Prædicatorum. 1644.

PROVINCIÆ INDIGENIS, ET INCOLIS,

HONORATVS δεῖ πιστεύειν, καὶ ἀκριβεῖν, & ita ſtare in fide & pietate, vt ab eis nunquam deſiſtere.

EPISTOLA.

§. 1. *Occaſio, genius, & ordo ſcribendi.*

CVM è ſolitudine mea ad paternam domum Aquis, nuper veniſſem; *Significatum eſt mihi* (vt 1.
loquar cum Apoſtolo) *de vobis* 10
Fratres mei (Comprouinciales chariſſimi) *quia contentiones ſunt inter vos.* Quidam enim, quibus nouitas placet, quibus pietas cordi non eſt, ingenti quodam oblectamento nouam quandam audiere & excepere opinionem, quæ antiquos tutelares noſtros Cęlites è Prouincia eliminat, & indubitatum B. Magdalenæ &

aliorum in Prouinciam appulſum, commentum eſſe,& fabulam pronunciat: cui opinioni & aſſentiuntur libentiſſimè, & ex ea pietatem noſtram & maiorum noſtrorum fidem, ſummo excipiunt ludibrio. Alij verò, licèt eidem omninò fidem non habeant, nutant tamen vtcumque, titubantque. Hinc erga ſacra ipſorum lipſana imminuitur pietas, & erga loca, quæ ipſi incoluere, religio. Alij denique, quibus inconcuſſa eſt fides,& pietas, de nouo iſto, pietatem in his partibus deſtruente, ſenſu triſtantur, dolent,& conqueruntur. Hinc diſſidia, verborum pugnæ, & contentiones inter vtroſque. Expoſtulationes vndique ad Senatum deferuntur, quod Aquenſibus eripiatur Maximinus, Maſſilienſibus Lazarus, Arelatenſibus Maria-Iacobi, & Salome, Martha Taraſconenſibus, Sammaximinenſibus Magdalena. Pro animaduerſione in plagiarios fiunt libelli ſupplices; in circulis priuatis, in comitijs publicis, nihil magis reſonat quàm quæ Prouinciæ infertur iniuria, qua Cælites illius Tutelares expilentur. Tandem huic damno,& malo, ne vlterius irreperet, occurrentes, & doctiores & religioſiores, hanc ſententiam ſuis calculis & improbarunt & damnarunt.

Inquirenti mihi harum contentionum & diſcordiarum cauſam, oriri eam conſtitit ex quodam libello, cui titulus forſan (nec enim vidi)

Diſſertatio de cõmentitio Magdalenæ in Prouinciam appulſu, Pariſijs anno 1641. Auctore quodam Theologo Pariſienſi, viro quidem ſatis erudito, quantùm ex alijs eiuſdem Auctoris opuſculis, eiuſd. furfuris (tùm contra noſtras traditiones de Magdalena & Lazaro, tùm cõtra Scapulare priuilegiatum Carmelitarum) coniectari licet. Sed cui maiorem in domino optamus, & pietatem, & charitatẽ, & modeſtiam. In quo primo libello, (vt ex cap. 2. alterius opuſculi, Diſquiſitio Diſquiſitionis eiuſdem Auctoris conſtat) intendit Auctor probare Lazarum, Magdalenam & Martham, nuſquam in Prouincia fuiſſe, ſed in Oriente obijſſe. Et de Maximino primo Aquenſium Epiſcopo, nullam vnquam, vel in veteribus Martyrologijs, vel Eccleſiæ Scriptoribus, fieri mentionem.

Occaſione huius libelli R. P. Ioann. Bapt. Gueſnæus Societatis IESV Theologus, ſuum, cui titulus, *Diſquiſitio de Magdalena Maſſilienſi aduena, Lugduni an.* 1643. edidit librum, in quo multa quidem eruditè ad probandum Magdalenæ & aliorum in Prouinciam appulſum, protulit argumenta. Sed quia rationibus quibuſdam exoticis, & nonnullis parergis, licèt ad hiſtoriam Prouinciæ vtcumque ſpectantibus, vſus eſt, diſſimulato præterea priore illo aduerſarij libello, vt illi obijcitur citato cap. 2. & 11. ex cuius libelli diſſimulatione,

argumentis contrarijs non fuit plenè ſatisfactum. Hinc ille idem Theologus Pariſienſis, aliud protulit opuſculum, cui titulus, *Diſquiſitio Diſquiſitionis de Magdalena Maſſilienſi aduena*, *Pariſijs ann. 1643.* in quo Auctor primis nouem capitibus Patrem Gueſnæum parum modeſtè ſæpius atque iterum impetit, & ex illius parergis, ſæpè eundem ludicrè cauillandi anſam ſumit. Denique, duobus poſtremis capitibus, eaſdem rationes, quas priori libello pro ſua ſententia attulerat, nunc, vtpote non ſolutas, iterum repetit: ait enim pag. 68. *Cæterum has rationes quas in Diſſertatione expoſueram, Gueſnæus diſſimulat, ſeu quia non habet quod aptè reſpondeat, ſeu quia contrarijs, vt decet, momentis experiri non poteſt.*

Interea dum hæc Pariſijs & Lugduni aguntur, R. P. Michaël Iordanus Ordinis Fratrum Prædicatorum, in ſpecu B. Mariæ Magdalenæ in Prouincia deuotionis cauſa degens, auditis his congreſſibus, ex loci ſanctitate accenſus, & ex pijs Manibus inibi commorantibus ſollicitatus, morales quoſdam, Magdalenæ in Prouinciam appulſum ſatis piè probantes, meditatus eſt Diſcurſus, quibus reſponſionem quidem breuem, ſed ſatis efficacem & concludentem, ad rationes aduerſarij priori libello (nec enim viderat ſecundum) allatas addidit circa finem, quos diſcurſus

ıper, ſub titulo, *Ratio vindicatrix calumniæ*, quis, publıci fecit iuris. Verum licet iſtı Dıſ-ırſus in abditis & ſeceſſibus fuerint concepti, gacem tamen fugere non potuerunt men-:m aduerſarij, qui cùm acris ſit odoratus, eos e longinquo, antequam ederentur ſubodo-auit: ait enim pag. 69. *Reſponſurum verò breui, ed nihil probaturum audio, neſcio quem de genere 'ammaximinenſium, hoc eſt eorum qui Carolum II. ;icilia Regem, Barcinoni Narbonam diuinitùs ıſportatum mentiti ſunt.* Proh! quæ verba in-ɔereconda! paulò quidem modeſtius, cum ordine Religioſo, ita de Eccleſia benè merito Auctori agendum eſſet, ſi quid pudoris, etiam in altercando, vt decet, adhibendum ſit.

Et hæc ſunt quæ hucvſque ad nos quoad hoc peruenere ſcripta, quæ cùm præ manibus paucorum vix terantur, viſum eſt mihi rem Chriſto Domino, honoris Magdalenæ aduerſus Phariſæum & Iudam, defenſori, non moleſtam, noſtris Cælitibus non odioſam, vobis verò non ingratā nec inutilem fore, ſi rationes vtriuſq; partis breuiter exponerem, & aduerſarij argumẽtis, plus vmbraticis quàm veris, plus minantibus quàm ferientibus, ſatisfacerem.

Verùm in hac reſponſione iſte erit genius, vt ablegatis parergis, & diſſitis argumentis, rationibuſque veris & proprijs compendiosè deductis, amandentur conuicia, reijciantur

improperia: hæc enim ſcriptores parum decent Eccleſiaſticos, quibus ait Apoſtolus, *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Indecorum enim eſt, inter litteratos maximè contumelijs congredi, & veritatem calumnijs indagare, in quæ non ſemel (pace illius dixerim) peccat aduerſarius. Noſtra iſta non eſt mens: & ſicut non ſcripturandi prurigine, ſed veritatis inquirendæ animo mouemur, ita non calumniandi ingenio detinemur, ipſeque Auctor, vt in ſimili ait Baronius aduerſus quemdam Vgonium, rogamus boni conſulat, hæcque nos non altercandi libidine, ſed veritatis ſtudio, atque adeo coactos eſſe noſtros conatus intelligat. Neque mihi propterea ſuccenſere debet: cùm enim ſit velut alter *Iſmaël ferus homo, & manus eius contra omnes:* patiatur oportet, vt *manus omnium* ſint *contra eum.*

d Gal. 6. | Mar. ol. ad ..diem arij. | Geneſ. 12.

Hunc porrò ſequemur ordinem, vt propoſita prius de aduentu Magdalenæ in Prouinciam hiſtoria, hanc varijs rationibus, tùm negatiuis tùm poſitiuis, tùm hiſtoricis cuiuſque ſæculi, tùm moralibus ſtabiliemus. Poſtmodum argumentis aduerſarij, tùm negatiuis tùm poſitiuis, tùm generalibus tùm particularibus, maiori qua poterimus breuitate, reſpondebimus. Poſtremò ad fidem, & pietatem erga noſtros Tutelares Cælites tuendam, & augendam, ſalutari Paræneſi concludemus.

§. 2. Exponitur vera hiſtoria aduentus B. Magdalenæ, & aliorum, in Prouinciam.

A Tempore diſceſſus noſtrorum Cælitum ab vrbe Ieruſalem, & à plaga quam primò in Prouincia attigerint, veponte dicendorum fundamentis, ordiendum eſt: circa quæ à cõmuniori & vulgata aliquantulum recedemus opinione, quæ quoad iſta tempus & locum, quædam habet minus conſideratè dicta, & quædam traditionibus noſtris contraria, aut repugnantia.

Dico ergo, non ſtatim poſt lapidationem Sancti Stephani, anno Chriſti 35. vt habet communis opinio, ſed longe tardius, nempe aut poſt mortem Sancti Iacobi Maioris, fratris Sancti Ioannis, quem Herodes Ieroſolymis occidit gladio, anno Chriſti 44. aut verius, poſt exceſſum Beatiſſimæ Virginis, anno Chriſti 57. aut forſan adhuc certius, poſt mortem alterius Sancti Iacobi Minoris, è pinna Templi deiecti, & fullonis vecte trucidati, anno Christi 62. furente iterum, imò & ſemper, Iudæorũ aduerſus Chriſtianos rabie, conſcenderunt nauim (an vi, an ſponte, & de induſtria, perinde eſt) Lazarus, Maximinus, Cidonius cœcus natus, Magdalena, Martha, cum Mar-

cella pediſſequa, itemq; Mariæ-Iacobi, & Salome, cum Sara illarum ancilla (quibus ſocios comiteſque eiuſdem diſcriminis iungit cõmunis traditio Eutropium Auraïcenſem, Georgium Velaïcenſem, Saturninum Tholoſanum, Martialem Lemouicenſem, Trophimum Arelatenſem, Cleonium Tolonenſem, Ruffum Auenionenſem, & alios nonnullos, forſan omnes Chriſti Diſcipulos: inter quos Ioſeph ab Arimathia, Nobilis Decurio, numeratur in Breuiario Aquenſi, & à multis Scriptoribus, & præcipue à Baron. & Spond. ad an. Chriſti 35. qui ex hiſtoria Anglicana MS. quæ habetur in Bibliotheca Vaticana, aſſerunt eundem Ioſephum ex Gallia in Britanniam nauigaſſe, ibique poſt prædicatum Euangelium diem obijſſe) & mari expoſiti in nauigio, forſan remis ac velis, vt vult traditio, deſtituto, Diuinæ tandem Prouidentiæ ductu aſſurgunt, non ad portum Maſſiliæ ciuitatis, ſed ad oſtia Rhodani, vbi nunc eſt oppidum Trimarianum, & Eccleſia Beatæ Mariæ, dicta de Mari, aut de Villa Maris, non longè à ciuitate Arelatenſi quam infra ſæculo 6. & 10. Beatam Mariam de Ratis vocabimus, vbi erecta & conſecrata Ara, & ibi libato pro fœlici exitu incruento Chriſti ſacrificio, vota ſoluunt: & poſtquam aliquantiſper illic fuerint commorati, relictis ibidem duabus Marijs Salome & Iacobi, &

Sara ancilla, vnuſquiſque provt ferebat impetus illuc gradiebatur: ita vt Lazarus Maſſiliam, itemque Magdalena, poſtmodum Eremum. Maximinus & Cidonius Aquas-Sextias, Martha Auenionem & Taraſconem, alij alias vrbes, prædicandi verbi Dei cauſa, petunt & incolunt. Cætera quæ habentur in Legenda,quæ eſt in Eccleſia B.Mariæ de Mari, & in Archiuijs Regijs Aquenſibus, iuſto opuſculo de tranſlatione B. Mariarum, & in actis Marcellæ pediſſequæ apud Vincentium, Antoninum, Mombritium, Petrum Equilinum & alios minutius perſequi noſtri non eſt conſilij nec inſtituti.

Dixi primò hunc diſceſſum ab vrbe Ieruſalem non fuiſſe ſtatim poſt lapidationem Sancti Stephani, anno 35. ſed probabiliter vſque ad annum Chriſti 62. differendum eſſe, & quidem propter quinque.

Primum, ſtatuo non fuiſſe ante annum Chriſti 36. vt occurram validiſſimæ illi obiectioni, ex libris *S*acris deductæ, qua R. P. Sirmundus,in diſſertatione de duobus Dionyſijs, aduentum B.Magdalenæ in Prouinciã videtur impugnare. Inſinuatur namque Actorum 11. primitias fidei gentium in Cornelio eſſe dedicatas. Exiſtimabant enim Iudæi, non licere illis qui erant ex circumciſione,prædicare gentibus verbum Dei, nec eos vocare ad pœni-

tentiam : immò, *illi qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phænicen & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum Dei, niſi ſolis Iudæis*, ideoq; conquerebantur de Petro quòd Cornelium ad Fidem recepiſſet, *dicentes, quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* quibus Petrus ſe excuſans, hoc Dei monitu, & ſigno ter exhibito, ſe, etiam inuitum, & renitentem feciſſe teſtatur, dicens, *ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?* At hæc conuerſio Cornelij facta eſt anno Chriſti 36. quomodo ergo anno 35. antecedente, Magdalenæ prædicatione Salyes fuerint ad Fidem conuerſi? à quo didiciſſent Cœlites noſtri, licuiſſe Iudæis prædicare gentibus pœnitentiam, & eas ad Fidem conuertere? Nunquid ignorare Petrus potuiſſet, quod facturus eſſet, aut feciſſet Lazarus Maſsiliæ? Et ſi ſciuiſſet, cur tantopere renitebatur pro conuerſione Cornelij? non ergo ante annum Chriſti 36. & conuerſionem Cornelij contigit hic diſceſſus.

Secundum. Neque contigiſſe hunc diſceſſum ante annum Chriſti 44. vt reſponſionibus ad objecta contra noſtram ſententiam infra faciendis viam ſternere incipiam. Cum enim obijcietur Lazarum fuiſſe in Cypro, & Magdalenam Epheſi habitaſſe, nullum erit inconue-

niens id concedere, ſi dicamus Magdalenam comitem ſe dediſſe Beatiſsimæ Virgini, Epheſum vnà cum Ioanne Euangeliſta proficiſcenti, anno Chriſti 44. vt fere communis opinio, & interea Lazarum munus Epiſcopale Citij in Cypro obijſſe; redijſſeque Ieruſalem, redeuntibus ibidem Beatiſsima Virgine, & Ioanne, & Magdalena, ſicut rediere Apoſtoli, cùm in exequijs Beatiſsimæ Virginis ferè omnes interfuerint, vt aſſerunt Damaſc. Gregor. Nicephor. & alij. Quòd autem Beatiſsima Virgo aliquando Epheſi commorata fuerit, hoc non obſcurè indicant Patres Concilij Epheſini, epiſt. ad Clerum Conſtantinop. in actis eiuſdem Concilij; apud Baron. anno Chriſti 44. n. 27. idque colligitur ex epiſtolis Sancti Ignatij Martyris, ad Sanctum Ioannem Apoſtolum, quem rogat vt Epheſum proficiſcatur vnà cum Beatiſsima Virgine, ad quam ſimiliter eadem de re dirigit epiſtolam, & quæ ad eum reſcripſit, his verbis: *Veniam autem vnà cum Ioanne, te, & qui tecum ſunt, viſura*: quæ epiſtolæ ab infinitis approbantur Auctoribus, apud Caniſium, lib. 5. de Deipara, cap. 18. & expreſsis verbis id teſtatur antiquiſsimus Lucius Dexter, in chr. his verbis: *Hoc anno Chriſti 41. vt ſui Apoſtolatus aliquod præberet ſpecimen Ioannes Theologus, comitante Beata Virgine, Epheſum proficiſcitur, comite quoque Beato Iacobo, qui*

& Epheſi ad tempus prædicat : comitantur Virgines Lazarus, Martha, Maria, vbi etiam præſentia ſua conſolatur Beata Virgo Ignatium, hæc ille, qui licet forſan erret circa tempus peregrinationis, rectè tamen loquitur quoad veritatem eiuſdem.

Tertium. Non fuiſſe ante annum Chriſti 48. vt conciliem diuerſas traditiones quæ noſtris viderentur eſſe contrariæ : habetur enim apud Hiſtoricos maioris fidei, quòd anno Chriſti 48. Sanctus Petrus varios Epiſcopos deſtinat in varias orbis partes, maximequè in Gallias Sanctos Vrſinum, Martialem, Sauinianum, Paulum, Aſtremonium, Trophimum, Dionyſium, Gratianum, & alios (Gregorij autem Turonen. locus, qui opponitur, in deprauata Sancti Saturnini paſsione ſolum innititur) at horum nonnullos, in eodem nauigio, noſtrorum Cœlitum facit eſſe comites noſtra traditio (quanquam ſi faceſcant huiuſmodi comites, & nobis in nauigio moleſti ſint, nullum præiudicium nobis inferri exiſtimo, ſi illis vale dicamus, & aſſeramus illos alia via, & forſan alio tempore in Gallias veniſſe : & hoc vt occurram obiectioni, quam pag. 24. de Sanctis Saturnino & Gratiano opponit aduerſarius.) Ergo non anno 35. ſed ad minimum 48. accidit hæc tranſmigratio.

Libr. 1. de hiſt. Franc. cap. 28.

Quartum. Non fuiſſe ante annum Chriſti

57. ſiue ante Beatiſſimæ Virginis obitum, qui ex probabiliori ſententia hoc accidit anno, & illius ætatis 72. quia minus conueniens videtur eſſe, aſſerere Lazarum, Mattham, & Magdalenam, qui tantopere dilexerant Chriſtum, ita citiùs dereliquiſſe illius Matrem: immò & duas alias Marias, oblitas eſſe ſuæ propriæ ſororis, nec illius curam habuiſſe. Neque dicatur has mulieres vi abreptas eſſe, & mari expoſitas, inſalutato hoſpite. Eſto, de quibus tamen paulò poſt, non tamen ſequitur illud ante Mariæ obitum cõtigiſſe. Nam ſi in odium Christi expellebantur ipſum in credentes, cur non potius illius mater & Iacobus illius conſobrinus Ieroſolymis prædicans? Deinde ſi Chriſtus chariſſimam matrem ſuam Diſcipulo commendauerit, multò magis perſonis eiuſdem ſexus, & illius agnatis id feciſſe credendum eſt; ideò dicitur Actor. 1. 14. *mulieres quaſdam eſſe cum Maria matre Ieſu.* Pluſquam ergo probabile eſt has iſtas pias mulieres, Beatiſſimæ Virgini, dum viueret, opitulatas fuiſſe, eiuſque obſequijs interfuiſſe, proindeque illarum diſceſſum, ante obitum Beatiſſimæ Virginis non contigiſſe.

Quintum. Statuo, nec fuiſſe ante annum Chriſti 62. vt non officiatur traditioni noſtræ, quæ in vtriſque Legendis citatis, paulò quidem quoad accidentia quædam, tantum di-

uerſis, habetur, *Beatas* Marias attuliſſe ſecum caput Sancti Iacobi Apoſtoli, fuiſſeque illud poſt illarum exceſſum cum illis ſepulturæ mandatum: at Iacobus maior occiditur anno 44. minor verò anno *62*. Ergo non anno *35*. contigit iſte ex Palæſtina diſceſſus, aut in Prouinciam appulſus, ſed certiùs anno *62*. Si illud caput ſit Sancti Iacobi minoris, vt volunt MS. in Archiuiis Regijs Aquenſibus. Ad quod argumentum non aduertit aduerſarius, etiam oculatiſſimus: non enim leuiorem habuiſſet anſam ſugillandi eum, quem ita ſæpè arguit, qui pag. *126*. retulit hanc [illegible]iam de tranſlatione in Prouinciam capitis S. Iacobi Apoſtoli minoris, in arcula plumbea incluſi, cum hac epigraphe, *hic eſt caput Beati Iacobi minoris*: & tamen pag. *31*. docet hunc diſceſſum ex vrbe Ieruſalem fuiſſe anno Chriſti 44. quomodo ergo potuerunt iſtæ Mariæ afferre in Prouinciam anno 44. caput Iacobi minoris, qui necatur ann. Chriſti *62*.? neque propterea aduerſatur hæc mens traditioni noſtræ, de Lazaro Maſſilienſem Eccleſiam per 30. annos regente, & de Magdalena per 33. annos in Eremo pœnitentiam agente: quaſi verò illi diutiùs non potuiſſent viuere, ſi ſolummodò anno Chriſti *62*. Prouinciam attigiſſent: quia cum Lazarus 30. tantum annos natus fuiſſet, cum à mortuis excitatus eſt, vt ait Epiphan. infra

citandus,

citandus, & Magdalena, ad ſummum Sancto Ioanni Apoſtolo fuerit coætanea (non enim mulier iam prouectioris ætatis tempore prædicationis Chriſti eidem Ioanni coætanei, vanitati & delicijs adhuc fuiſſet dedita) iſque Ioannes vſque ad annum ætatis ſuæ 99. Chriſti verò 100. peruenerit: quidni & Lazarus & Magdalena annum ætatis 92. aut 94. potuerint attingere?

. Ex quibus manifeſtè concluditur tempus, quo Cælites noſtri Ieruſalem diſceſſerint, & mari Prouinciam petentes nauigio expoſiti fuerint: ſed vtrum ſine velis & remis, vtrum vi, an vltro, noſtrum non eſt diſſerere, quanquam ſi attendatur ſola ratio humana, faciliùs crederem, conuocatis ſocijs itineris, aut prædicãdi verbum Dei cauſa in longinquis regionibus, aut fugiendi perſecutionem Iudæorum, ex nouis miraculis in obitu B. V. Mariæ, & Iac. minoris factis, magis excandeſcentium, hos omnes ſponte, & de induſtria, paratis vtcunque neceſſarijs ad viam, mari ſe commiſiſſe, ductu Diuinæ prouidentiæ. Sed quomodo id certò factum ſit, eius ſolius eſt ſcire, cuius fuit eos omnes dirigere. Noſtrum tamen eſt concludere, id probabiliter non eueniſſe, anno Chriſti 35. nec ante conuerſionem Cornelij, anno 36. nec antequam Beatiſſima Virgo Epheſum petijſſet, anno 44. nec antequam

Sanctus Petrus varios Epiſcopos in Gallias miſiſſet, anno 48. nec ante obitum Beatiſſimæ Virginis, anno 57. nec denique ante mortem Iacobi minoris, anno Chriſti 62.

Dixi ſecundò, hunc appulſum non fuiſſe ad portum ciuitatis Maſſiliæ præcisê, ſed ad oſtia Rhodani, vbi primùm, non cataſcopium, (quod ex nominis ethymo & apud Cæſarem in commentarijs, eſt nauis exploratoria) quo nomine ironicê iſtud nauigium irridet aduerſarius, ſed potius nauis iſta, vtcunque oneraria conſtitit, & ibi exoneratur. Hoc expreſſe indicant M S. tum Eccleſiæ Arelatenſis, & aliarum, tum illa quæ aſſeruantur in Archiuiis Regijs Aquenſibus, præter auctoritates Guillelmi Durandi, Geruaſij Thilisberienſis, & Sancti Cæſarij Arelatenſis infra ſæculis 13. 12. & 6. Vnde in libello ſupplici oblato, anno 1448. Petro de Fuxo Cardinali Legato Auenionenſi, in actis inuentionis & tranſlationis corporum Sanctarum Mariarum, Eccleſia, in qua requieſcunt iſta beata corpora, vocatur, *Eccleſia Beatæ Mariæ de mari, quæ ipſa prima eſt Eccleſia citra montes*, &c. Et in relatione Nicolai Brancaſſii Epiſcopi Maſſilienſis, ab eodem Petro de Fuxo ſpecialiter deputati, pro exactiſſima huius hiſtoriæ perquiſitione, habetur, quòd *in Eccleſia Parrochiali eiuſdem villæ de mari, ſub honore beatiſſimæ Dei Genitricis*

Mariæ conſtructa, quæ multis atteſtantibus ſcripturis prima omnium Eccleſiarum citramarinarum, ac à Diſcipulis à Iudæa pulſis, & in rate ſine remigio dimiſsis per mare, Beatis Maximino Aquenſi, Lazaro Maſsilienſi Euangelico fratre Beatarum Marthæ & Mariæ Magdalenæ, Eutropio Auraïcenſi, Georgio Velaïcenſi, Saturnino Tholoſano, Martiale Lemouicenſi, & Trophimo Arelatenſi, ex 72. Diſcipulis conſecrata exiſtit, requieſcunt in terra corpora Sanctarum Domini noſtri Ieſu Chriſti materterarum, dictæ glorioſiſsimæ ſuæ Genitricis ſororum Mariæ Iacobi & Salomes, quæ, &c.

Neque propterea illud repugnat communi traditioni, & loquutioni apud Hiſtoricos de aduentu Magdalenæ ad portum Maſſiliæ, aut Maſſilienſem: quia tractus ille terræ, mari conterminus, à Nicæa vſque ad Agatham, erat ditionis Maſſilienſium, vt patet ex nominibus Græcis, quæ Maſſilienſes Græci impoſuerunt apud Strabonem, Melam, & Plinium, ciuitatibus Nicææ, Antipoli, Athenopoli, Olbiæ, Tauroëntio, Cythariſtæ, Halycidon, Rhoën, Agathæ: & Inſulis Lerinæ, Planaſiæ, Stæchadibus, Proten, Mezen, Hypeæ, Phænicæ, Aſtromelæ, & alijs Maſſiliæ finitimis: at Rhodanus eſt in illo tractu, & mari ſe immiſcet, in *Libr.*
eodem ab occaſu Maſſiliæ: ergo ad ditionem *cap.*
Maſſilienſium ſpectabat: immò ex Plinio præcipuum & ampliſsimum Rhodani oſtium,

quod nunc eſt vicinius Caſtro Trimariano, vocatur Maſſalioticum: & in itinerario Antonini Auguſti maritimo, habetur, *à Foſsis Marianis ad gradum Maſsilinatorum, fluuius Rhodanus M. P. XVI.* deducto nomine ab vrbe Μασσαλια, dominatrice. Vndequando nauis iſta appulit ad oſtia Rhodani, verè ſtetit in portu Maſsiliæ, aut Maſsilienſi: non ſecus ac Albingaunium, Vada Sabatica, portus Delphini, & portus Veneris, vocantur hodie portus Genuenſes, quòd ſubſint ditioni Genuenſium.

§. 3. *Probatur aduentus Magdalenæ & aliorum in Prouinciam, argumentis negatiuis.*

STabilita vera, de tempore & loco Magdalenæ, & aliorum in Prouinciam appulſus, hiſtoria, ſupereſt vt illam varijs probemus argumentis, & primò quidem negatiuis, cuius generis vnicum dumtaxat rem totam concludet: dicendo videlicet, nullum hactenus cuiuſcumque notæ Scriptorem, ſiue ex Græcis, ſiue ex Latinis, ante iſtum Theologum Pariſienſem, hanc hiſtoriam directè negaſſe, & expreſſis verbis eam erroris vel falſitatis inſimulando oppugnaſſe.

Video mihi opponi Græcos & Latinos Scriptores quoſdam, dicentes Lazarum in Cypro obijſſe, & ibi ſepultum eſſe: Magdalenam Epheſi obijſſe, & ſepultam eſſe: Martham, & Mariam Salomes Ieroſolymis obijſſe, & ſepultas eſſe: Mariam Iacobi Verulanis iacere. Eſto, neque eſt hic ad hæc reſpõdendi locus, ad nullum tamen eorum peruenit notitia traditionis noſtræ; & licet eorum nonnulli, ex falſis Græcorum traditionibus, contrarium inſinuent, oppoſitum tamen non negant; immò quamprimùm apud oculatiſſimos peruenit notitia vtriuſque traditionis, reiectis Græcorum ſomnijs, traditioni noſtræ adhæſerunt, vt conſtat tùm ex antiquis Sigeb. Antonin. tùm ex neotericis Baronio, Bzouio, Spondano, & alijs, apud quos, præter duos aut tres, nuper decineratos teſtes, licet malè perceptos, & nihil concludentes, quos pro ſe allegat aduerſarius, omnia alia eiuſdem aduerſarij vadimonia iam pridem à prædictis Auctoribus fuere & producta & reiecta.

Video aliam mihi opponi controuerſiam, quæ eſt inter Vezeliacenſes & Sammaximinenſes, de corpore B. Magdalenæ, quæ ab anno 1265. tempore Sancti Ludouici Francorum Regis, ſæpiùs atque iterum ſopita reuireſcit: ſed hoc eſt extra quæſtionem, non enim Vezeliacenſes negant Magdalenam appuliſſe

Prouinciam, ſed ex ea eductam volunt, vt indicant Sigebert. Vincent. Antonin. Iacobus de Voragine, Chaſſanæus, & alij: ſed de his infra §. 14. cùm de Lazaro Heduenſi, & de Magdalena Vezeliacenſi.

Video denique vnum aut alterum ex grauiſſimis huius ſęculi Scriptoribus, Sirmundum & Boſquetum, totidemque in hac Prouincia duos emunctiſſimos viros, nobis notos & familiares, qui grandioribus huius generis operibus edendis, manum calamo adhibent, R. P. Polycarpum Carthuſianum, & Ioannem Iacobum Auguſtinianenſem, tum ex anticipato anno 35. diſceſſu, tum ex quibuſdam Græcorum authoritatibus, de hac hiſtoria dubitaſſe quidem: ſed eam directè & expreſſis verbis impugnaſſe, nec legi, nec audiui neminem, præter iſtum Theologum Pa-
.9. riſienſem, quem tamen exiſtimo, *teſtimonium illi perhibente conſcientia ſua, in ſpiritu*, corde fateri, quod ore & calamo diffitetur: foreque eum aliquando in domino ſpero, velut alterum Steſicore, qui editis carminibus
ſtr. contra Helenam (ſicut iſte contra Magdale-
l.c. nam) tandem palinodiam cecinit, vt indicat
vi- Philoſtratus: interea cùm teſtante Scriptura,
pol- *ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur*, ex
l.35. illius ſingulari iudicio; noſtrà non deſtruetur traditio, cum vox vnius ſit vox nullius,

proindeque aduerſarium prouoco ad iudices ſuperiores §. ſequenti adducendos..

§. 4. *Probatur aduentus Magdalenæ & aliorum in* Prouinciam, *argumentis & rationibus Hiſtoricis.*

NVllum audiuimus negantem, innumeros cuiuſque ſæculi audiamus affirmantes, *cogita generationes ſingulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

Primò profero omnia ferè Martyrologia & Breuiaria omnium ferè Eccleſiarum vtriuſque Narbonenſis Prouinciæ primæ & ſecundæ, itemque Prouinciæ Alpium maritimarum, ſiue Ebredunenſis: in quibus, aut pro parte, aut pro toto, hæc continetur hiſtoria. Sed quia hæc Martyrologia & Breuiaria non habent diem, nec Conſulem, ideò ſeorſim ab Auctoribus cuiuſque ſæculi repono. Neque eorum ad longum profero teſtimonium, quia aduerſarius nullos admittit teſtes, qui non ſint Carolo I I. Siciliæ Rege, ſub quo facta eſt Beatæ Magdalenæ Reliquiarum inuentio, ann. 1279. antiquiores.

Secundò profero Auctores cuiuſque ferê ſæculi, incipiendo à viciniotibus, ad remotiora aſcendendo: ea conditione, vt recen-

tiorum dicto Carolo II. vtpote aduerſario ſuſpicione non carentium, nullum ad longum proferatur teſtimonium, benè quidem antiquiorum, qui vel in toto, vel in parte, hanc hiſtoriam, vel indicant, vel exponunt.

SÆCVLO XVII.

HOc expreſſe docent Bened. Gononus Cæleſtinus, in Chronol. B. M. anno 35. Claudius Cortez Dominic. opuſc. hac de re: Philippus Labbe Societ. IESV, in concordia Chronol. Philippus Ferrarius Alexandrin. Ordinis ſeruorum B. M. in tab. Geographie. Martyrolog. Andr. de Sauſſay in Martyrolog. Gallican. Henricus Spondan. Epiſcopus Apamiarum, in epitome Baronij, & in continuatione annalium eiuſdem. Iacob. Gauter. in Chron. Abraham. Bzouius in annal. Cauſſinus in aula Sancta. Ribadeneira, Lorinus, Cornelius à Lapide in commentar. ſuper acta Apoſtol. & alij infiniti.

SÆCVLO XVI.

HAnc ſententiam atteſtantur Sebaſtianus Michaëlis Dominicanus in demonſtrat. Euangel. Genebrardus in Chronol. Baron. in annalib. & in Martyrol. Petrus Quiqueranus

copus Senecenſis de laudibus Prouinciæ, us tom. 4. ad 22. Iul. Eiſingrenius in cago teſtium veritatis: Petrus Caniſius in tyrologio ab eo emendato, & aucto: Moas in additionibus ad Martyrolog. Vſuardi. bert. Cænalis Epiſcop. Vencienſis, poſtea rincenſis. Demochar. tit. Aquen. Archiep. ſſanæus in catal. & alij infiniti.

SÆCVLO XV.

Rimus huius ſæculi teſtis erit Syluester Prieras Pedemontanus, qui circa annum 197. locum pœnitentiæ Beatæ Magdalenæ, anctam Balmam dictum, inuiſit, & habet nulta ad hanc hiſtoriam ſpectantia, in aurea Roſa, in expoſit. Euangelij feriæ 5 infra Octaiam Paſchæ, quæ ad longum refert Laurent. Surius ſupra citatus.

Secundus, Baptiſta Mantuanus Carmelita circa ann. 1490. qui verſibus nauigationem Magdalenæ & aliorum elegantiſſimè deſcribit.

Tertius, Marc. Anton. Coccius Sabellicus, circa annum 1480. Ennead 61. lib. 2. & eodem anno Auctor libri faſciculus temporum.

Quartus, Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus, circa annum 1470. in catalogo Sanctorum, lib. 6. cap. 124. vniuerſam hiſto-

ciam de Magdalenæ aduentu in Prouinciam recenſet, additque multa ex his quæ circumferuntur ex actis Marcellæ pediſſequæ.

Quintus, Sanctus Antoninus Archiep. Florentin, circa annum 1450. tomo 1. tit. 6. cap. 19. & tit. 14. cap. 2. §. 4. adhuc luculentius hanc deſcribit hiſtoriam.

Sextus huius ſæculi teſtis erit Eminentiſſimus Petrus de Foxo Cardinalis, Legatus Auenionenſis, qui ad inſtantiam Sereniſsimi Principis Renati, Siciliæ Regis & Prouinciæ Comitis, tria luculentiſsima, hanc hiſtoriam atteſtantia, reddidit teſtimonia, primum ann. 1458. in proceſſu facto, circa repoſitionem capitis Sanctæ Marthæ Taraſcone, in imaginem argenteam deauratam, die Martij 8. menſis Auguſti eiuſdem anni 1458. Secundum, anno 1448. cùm, ad inſtantiam eiuſdem Regis Renati, perquiruntur & effodiuntur ſub terra corpora beatarum Mariarum Iacobi & Salomes, in Eccleſia Beatæ Mariæ de Mari, & reperta in decentiori loco reconduntur. Tertium, in atteſtatione authentica de certitudine præſentiæ corporis B. Magdalenæ, in Conuentu Fratrum Prædicatorum Sancti Maximini, facta die 1. menſis Iunij ann. 1448. *ex faſtis Eccleſiæ Taraſcon. & Sammaximin. & Archiuijs Reg. Aquen.*

Septimus teſtis erit Boninus Mombritius

iolanenſis, qui luculenter hanc texuit hi-
am, tom. 2. vbi habentur acta Marcellæ
Toquæ, cuius auctoris exemplaria duo vi-
omæ, vnum in Bibliotheca Patrum Con-
ationis Oratorij IESV in Vallicella, quo
eſt Baronius, qui cum in annotationibus
tyrologij tam ſæpe citat, & alterum in
iotheca Barberina: ſed ex neutro, nec
nde, etiam opitulantibus mihi ad hoc in-
endum D D. Holſtenio & Morono Bi-
thecarijs Eminentiſſimi Cardinalis Fran-
i Barberini, colligere potui tempus in quo
Auctor ſcribebat: ſed quia antiquiori
m viderim Prælo, eius opera ſunt in lucem
iſſa, ideò ſaltem ad hoc refero ſæculum, in
Typica Librorum editio dicitur inuenta
a annum 1440. apud Turſelin, Gaulte-
n, & alios.

Octauus, Iacobus Philippus Foreſtius Ber-
nenſis Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini,
a annum 1436. qui in ſuo ſupplemento
onic. totam iſtam recenſet hiſtoriam de
ientu Magdalenæ in Prouinciam, eiuſque
Eremo pœnitentia; & quomodo diebus ſin-
lis ſepties ab Angelis in æthera eleuabatur,
alia multa noſtris traditionibus conformia.

Nonus, Sanctus Vincentius Ferrerius Ord.
edicat. qui obijt anno 1418. idipſum teſta-
, ſerm. de Sancta Maria Magdalena, &

qui ſine dubio locum pœnitentiæ B. Magdalenæ viſitauit, cum duplex illius Sancti in Prouinciam notetur aduentus, in Archiuijs Conuentus Aquenſis Fratrum Prædicator. primus anno 1400. & ſecundus ann. 1408.

SÆCVLO XIV.

PRimus huius ſæculi teſtis eſt Bernard. Guido Epiſcop. Lodouenſis, circa ann. 1320. antea Religioſus Ord. Prædicatorum, & Inquiſitor Fidei in Albigenſibus, qui chronicum ſuum, ſeu ſpeculum Hiſtoriale, iuſſu Berengarij Magiſtri Generalis ſui Ordinis, editum anno 1320. dicat Ioanni XXII. vt habet Robert. in Gallia Chriſt.

Secundus teſtis eſt Ptolomæus Lucenſis, etiam Ord. Frat. Prædicat. & Epiſcopus Torcellen. prope Venetias, circa annum 1300. in ſua hiſtoria, lib. 23. cap. 35. & 36. quæ nuper anno 1619. Lugduni publico vſui eſt tradita: qui duo huius ſæculi teſtes luculentiſſimè hanc expendunt hiſtoriam, & præcipuè quoad ea quæ ſpectant ad inuentionem Reliquiarum Beatæ Magdalenæ à Carolo II. factam anno 1279. à quibus tanquam teſtibus oculatis, aut ſaltem Synchronicis, eidem inuentioni, mutuati ſunt quæ circa hoc habent reliqui recentiores Hiſtorici.

SÆCVLO XIII.

HOs ſæculum multos habuit fideiuſſores hanc hiſtoriam atteſtantes, vnum quidem, nempè Iacobum de Voragine Epiſcop. Genuenſem in legenda Sanctorum, circa annum 1290. poſteriorem ſanè ipſi inuentioni Reliquiarum à Carolo I I. Siciliæ Rege facta, alios verò anteriores ipſi inuentioni, quæ contigit anno 1279. vt ex probæ notæ Auctoribus illi tempori Synchronicis, videlicet Bernardo Guidone, & Ptolomæo Luccenſi diſertiſſimè & accuratiſſimè exponit Henricus Spondanus Epiſcop. Apamiarum, in continuatione annalium Baronij, ad annum 1279. n. 3. his verbis.

Eodem anno, nempè 1279. die 4. (9. habent alij) menſis Decembris, ibid. in Prouincia, prædictus Carolus claudus Salernitanus (quem hiſtoriæ tradunt adueniſſe anno præcedenti in Galliam) corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quod fuerat olim metu Saracenorum has partes infeſtãtium, in loco ſecreto abſconditum, diligenter perquiri iuſſit, inuentumque in Oratorio, in quo illud Sanctus Maximinus primus Aquenſium Epiſcopus, & vnus è 72. Chriſti Diſcipulis repoſuerat, in illa quæ ab eodem Sancto Maximino dici-

Iuo Cluniacen. Aſtorgius Sancti Aegidij, Pontius Aquabellæ, Bernard. Syluacan. Guillelm. Francarum vallium, Arnaud. vallis magnæ, Alphonſ. Toroneti, Guillelm. Sinanquæ, Bernardus ſyluæ Regalis, & Ioannes Regalis vallis, Abbates: Notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd conuocati apud Sanctum Maximinum per virum magnificum Dominum Carolum primogenitum illuſtris Regis Ieruſalem, & Siciliæ, Principem Salerni, &c. Præſentes fuimus cum eodem Domino Principe, & vidimus Reliquias B. M. Magdalenæ transferri in præſentem caſsiam de argento. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras fieri fecimus, prædicti Domini Principis, & noſtrorum ſigillorum munimine roboratas. Actum apud Sanctum Maximinum, anno Domini 1281. Dominica poſt Aſcenſionem Domini, Pontificatus Domini Martini Papæ IV. ann. 1. Ex tabulis Conuentus Regij Sammaximinenſis.

Eiuſdem roboris (altem (niſi ſit maioris) eſt teſtimonium Bonifacij VIII. circa idem tempus, nempe anno 1295. qui cum ad inſtantiam *Carol.* II. confirmaret ea omnia quæ ipſemet Carol. ſtatuiſſet circa Monaſteriū S. Maximini, teſtatur fide oculata ſe vidiſſe (nempe cum in Gallia eſſet, & forſan eo tempore quo erat Canonicus Lugdunenſis) multa quæ narrantur de inuentione Reliquiarum *B.* Magdalenæ, his verbis: *Bonifacius Epiſcopus ſeruus*

Digitized by Google

ſeruorum Dei, chariſsimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtri, ſalutem, &c. Sane habet tua inſinuatio facta nobis, quod ob magnæ deuotionis affectum, quem, ob B. M. Magdalenam geris in Eccleſia S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum Aquenſis Diæceſis, tunc ad Monaſterium *Sancti Victoris* Maſsilienſis *Ord. S. Bened. immediatè ſpectante, in qua eſt corpus dictæ Sanctæ reconditum, cultum Diuini nominis adaugeri deſideras, &c. NOS igitur attendentes, &c. Quod olim dum incertus exiſteret locus vbi ſepultum fuèrat corpus ipſum, ad illum inquirendum & inueniendum efficax ſtudium impendiſti, & tandem eodem inuento ipſum in dicta Eccleſia feciſti cum debita deuotione, ac reuerentia, conueniente ad hoc Cleri & populi partium illarum copioſa multitudine, tumulari, &c. præcipue cùm de prædictis multa fide viderimus oculata, &c. Datum Laterani 8. Idus Aprilis, ann. primo.* Ex ſupradictis tabulis Conuentus Sammaximinenſis.

Sed quia amica veritas multùm placet, licet aliquando odium pariat; ex præcedenti narratione, & atteſtatione, obiter falſi conuincitur vulgaris illa hiſtoria, quæ circumfertur in Prouincia, & quam tantopere & ſæpius ſugillat aduerſarius, de miraculoſa Caroli II. è carcere *Barcinonenſi*, precibus & ope beatiſſimæ Magdalenæ liberatione, eiuſque Narbonam noctu miraculoſa tranſlatione; impoſito

ſitc illi mandato, vt in gratiam tanti beneficij eius Reliquias in oppido Sancti Maximini latentes perquireret, & Conuentum illius Fratrum, nempè Prædicatorum ibi ſtrueret. Falſi inquam conuincitur hæc hiſtoria, cùm hæc liberatio Caroli contigerit tantùm anno 1288. ſub Nicolao IV. & Reliquiæ Sanctæ Magdalenæ anno 1279. iam fuerant repertæ, Conuentuſque Fratrum Prædicatorum iam quoque fuerat erectus, & dotatus. Quinetiam, licet precibus B. Magdalenæ delinitus forſan fuerit Alphonſus Aragonum Rex, hæc tamen liberatio non ita fuit, vt fertur, miraculoſa: nam Nicolaus IV. idibus Martij ann. 1288. per duos Archiepiſcopos Rauennæ, & Montis Regalis, de liberatione Caroli Alphonſum interpellat. Eduardus Rex Angliæ, & Alphonſus Aragonum Rex, ipſeque etiam Carolus captiuus, in vico Campifranci, ad ipſa Pyrenæi culmina, conueniunt. Ibi Carolus pacta anno ſuperiori pro ipſius liberatione Olerone facta 4. Cal. Nouemb. iureiurando firmat: & ſic datis obſidibus tribus ſuis filijs, inter quos Sanctus Ludouicus poſtea Epiſcopus Tholoſanus, & multis alijs Prouinciæ Nobilibus (octoginta numerat hiſtoria Maſſilienſis) à diuturna captiuitate, per 4. aut 5. annos, liberatur Carolus: cuius liberationem ita factam, ex multis Hiſtoricis Francis, Italis, *Lib. 5 cap. 4*

Hiſpanis, Anglis, & Germanis, tradunt Bzouius & Spondan. ad annum 1288. Quæ fuerit autem ratio, iſtud alicuius forſan boni viri (aut forſan ipſius Regis Caroli antequam caperetur) ſomnium, pro veritate in Prouincia ſtatuendi, noſtri non eſt differere inſtituti: benequidem ex varijs teſtimonijs, etiam ipſa inuentione & eleuatione Reliquiarum beatæ Magdalenæ ab ipſo Carolo Rege facta, antiquioribus, probare beatam Magdalenam & alios Sanctos fuiſſe in Prouincia.

Eodem itaque ſæculo XIII. id teſtantur, primò, anno 1270. Guillelmus Durandus dictus ſpeculator, Epiſcopus Mimatenſis Ord. Fratrum Prædicatorum, ex loco de Podimoiſono (vt habet Noſtradamus in hiſt. Prouinc.) Regienſis Diœceſis in Prouincia oriundus, lib. 1. de rationali officio, cap. 7. n. 28. vbi expreſſe ſententiam noſtram de appulſu Magdalenæ & aliorum in oppido Trimariano, his verbis docet, *in Comitatu Prouinciæ, in Castro Sanctæ Mariæ de mari, eſt altare terreum, quod ibi fecerunt Maria Magdalena, & Martha, & Maria Iacobi, & Maria Salome:* cuius Auctoris teſtimonium coram Petro de Fuxo Legato Auenionenſi retulit Renatus Rex, ad comprobandam beatarum Mariarum hiſtoriæ veritatem, vt habetur in actis eiuſdem Regis Renati, in Archiuijs Regijs Aquenſibus.

Secundò. breuiarium Ordinis Sancti Dominici, anno 1254. confectum, quodque Lutetiæ Pariſiorum aſſeruatur in Conuentu Sancti Iacobi, quod ex relatione etiam ipſius aduerſarij, pag. 6. & 44. in feſto *B.* Magdalenæ, lectione 6. ita habet, *tranſlatum eſt corpus Mariæ Magdalenæ de loco prædicto* (Aquenſi vrbe) *ad monaſterium quod dicitur Vezeliacum, anno Paſſionis Domini* 749. Sed de iſta tranſlatione, infra ſæculo 9. & §. 14. ſufficit nunc ex hoc teſtimonio quòd fuerit in Prouincia: non enim potuit transferri è Prouincia niſi priùs ibi fuiſſet.

Tertiò. Auctor vitæ Sancti Ludouici Francorum Regis Ionuillæus, qui cap. 80. aſſerit Sanctum Ludouicum anno 1254. è tranſmarina expeditione in Gallias redeuntem, viſitaſſe *locum illum nomine Baumam, vbi, vt dicebatur, tanquam in Eremo, multos annos traduxerat Magdalena*: huic teſtimonio reſpondet aduerſarius pag. 5. *montem illum, cui nomen eſt Bauma ſeu Balma, vocatum nondum eſſe ſanctum quo tempore Ionuillæus hiſtoriam Beati Ludouici ſcripſit.* Ex qua reſponſione arguere intendit, cùm iſte locus non vocetur ſanctus, ſequitur quòd ibi non fuerit Magdalena. O egregiam ratiocinationem! ideò quia mons Caluariæ non vocatur ſanctus, ergo ibi Chriſtus non fuit crucifixus? quia monumentum iſtud nouum,

quod Ioſeph exciderat in petra, non vocatur ſanctum, ergo Christus non fuit repoſitus in illo? apage iſtum argumentandi modum!

Quartò, Vincent. Bellouacenſis Epiſcop. Ord. Frat. Prædicat. anno 1240. in ſpeculo Hiſt. lib. 9. à cap. 92. multa habet ad hanc hiſtoriam Marthæ & Magdalenæ ſpectantia, quæ circumferuntur ſub nomine actuum Marcellæ pediſſequæ

Quintò. Diploma Honorij III. ſub datum Romæ 14. Calendas Iulij, anno 1218. in quo ſummus Pontifex enumerando & confirmando omnia Monaſteria & Cellas, quæ dependent à Monaſterio Sancti Victoris Maſſilienſis, meminit illius Sanctæ Mariæ de Balma in Epiſcopatu Maſſilienſi, his verbis: *Confirmamus, &c. item ſub Epiſcopatu Maſſilienſi, Cellam Beatæ Mariæ de Balma.* At iſta Eccleſia & Cella non eſt alia, quàm locus ille pœnitentiæ B. Mariæ Magdalenæ, vt pluribus infra probabo ſæculo ſequenti, in diplomate Innocentij II. *Ex archiuijs Cœnobij Sancti Victoris Maſſilienſis.*

Sextò. Epiſtola Michaëlis de Moreſio Archiepiſcpo Arelat. circa annum 1203. omnibus Prælatis & alijs Eccleſiaſticis huius prouinciæ directa, qua illis admirandum illud cæmeterium extra muros ciuitatis Arelat. in campis Elyſijs, aut vulgò Aliſcampijs, nimia

tuſtate collapſum, & pia fidelium liberalita-
te ſarciendum commendat, ex multis capi-
bus, inter alia, ex nimia eius antiquitate, &
benedictione & conſecratione à Sancto Maxi-
mino Aquenſi, & alijs Epiſcopis, his verbis:
*Admirandum & illud miraculum cœlo teſte appro-
bitum, quod prædictum Cæmeterium viri Apoſto-
lici Apoſtolorumque imitatores, & Diſcipuli ſeptem,
Trophimus ſcilicet à Beato Petro & Paulo Apoſto-
lis, Arelati prauiſus & ordinatus Epiſcopus, cum
Sergio Paulo Narbonenſi, Maximino Aquenſi, Sa-
turnino Tholoſano, Frontone Petragoricenſi, Mar-
tiale Lemouicenſi, Eutropio Auraicenſi Epiſcopis,
Diuino oraculo admonitis benedixerint, & Domino
Ieſu Chriſto præſente, & ibidem corporaliter appa-
rente, conſecrauerint, vt ſcribit Beata Marcella San-
ctæ Marthæ obſtetrix, in ſecundo libro quem de ac-
tibus eius vnà cum primo libro vitæ eiuſdem hebrai-
cè vno edidit volumine.* Ex Autographo nigro Ex P
Epiſcopali apud Saxium: hinc colligitur acta tificio
Marcellæ non ita fuiſſe recentiora, & incertæ Arel.
fidei, cùm iſti ſæculo in Prouincia magnæ
fuerint authoritatis.

SÆCVLO XII.

PRimò ad finem, ſeu potiùs ordine inuerſo,
ad principium huius ſæculi XII. ſine dubio
referri poteſt Geruaſius Tisliberienſis Mareſ-

ra fertili, &c. Illic ad littus maris eſt prima omnium Eccleſiarum citramarinarum, in honore Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ fundata, à Diſcipulis à Iudæa pulſis, & in rate ſine remigio dimiſſis per mare Beatis Maximino Aquenſi, Lazaro Maſſilienſi Euangelico fratre Sanctæ Marthæ, & Mariæ Magdalenæ, Eutropio Auraicenſi, Georgio Velaicenſi, Saturnino Tholoſano, Martiale Lemouicenſi, ex 72. Diſcipulis conſecrata, adſtantibus Martha, *&* Maria Magdalenæ, *cum alijs multis, ſub cuius Baſilicæ Altari, ab ipſis de terra piſtata, lapide titulari de marmore, & pario modico ſuperſtrato, tenet authoritate plena vetuſtas, ſex corporum ſanctorum capita, in quadrum diſpoſita, reliqua corporum membra ſuis tumulis clauſa, inter quæ duas aſſerunt* Marias *ſepultas, quæ mane prima Sabbathi cum aromatibus venerunt videre Sepulchrum.* Hæc Geruaſius. Sed obiter aduertenda res eſt ſcitu digniſſima, quod cùm iuſſu Renati Regis perquirerentur (ſub terra illius Eccleſiæ) iſta corpora ſancta, 238. annis poſtquam hæc Geruaſius ſcripſerit, ſcilicet anno 1448. reperta ſunt ea omnia, nempè terra piſta, lapis titularis de marmore, ſex capita corporum ſanctorum, videlicet duo capita cum reliquo corpore integro, vnum à dextris Altaris, & alterum à ſiniſtris, & quatuor alia capita, eo ferè modo in quadrum, ſeu potiùs in formam Crucis diſpoſita, quo deſcripſerat Geruaſius; ita

Imbertus Præſul, Roſtagno Præſule ſecum,
In prima Iunij conſecrat Eccleſiam.

Id eſt nouem vicibus viginti, & poſtremò ſeptem, cùm mille, ſeu 1187. manifeſtantur in crypta inferiore Templi, Reliquiæ B. Marthæ hoſpitæ Chriſti: & prima die Iunij mille ducentis (minus tribus) annis, ſeu 1197, ab Imberto Archiepiſcopo Arelat. qui ex Pontificio illius Eccleſiæ vocatur de Aqueria, & Roſtagno Auenion. conſecratur Eccleſia Taraſconenſis, in honorem illius hoſpitæ Chriſti, quæ ibi diu religiosè viuendo habitauit, ibi ſepulta eſt, & quæ antea ab immani illa bellua homines deuorante, illius regionis incolas liberauerat.

Verùm obiter aduertendum eſt, vt certa ab incertis diſtinguantur, licet vltrò concedam Beatæ Marthæ precibus & meritis, horrendum illum Draconem fuiſſe mitigatum, illius cingulo alligatum, & tanden ab oppidanis occiſum, vt fert communis traditio: huic tamen non ſubſcribo opinioni, quæ vult, ciuitatem iſtam, quæ antea vocabatur Nerluc (vt cenſent nonnulli apud Sebaſtianum Michaëlem, lib. demonſtr. Euang.) ex feroci illa bellua, quæ indigena nomenclatura Taraſca vocabatur, Taraſconem fuiſſe poſtea nominatam: quia non ſolùm Ptolemæus, qui vi-

am nuper edidit doctiſsimus D. de Ruffy in
aria Maſſil. Conſiliarius Reg. à viginti an-
s fuit deſtructa, maximam denotans anti-
itatem; ratione cuius ad hoc ſaltem refero
culum, niſi altius, & forſan verius, velimus
petere originem: ædificium enim 500. anno-
um, licet ſit antiquum, non eſt tamen ſum-
æ antiquitati (ſicut erat iſta Eccleſia) adſ-
ribendum, & præſertim in iſta prouincia,
bi quamplurima adhuc reſtant integra Ro-
anorum monumenta.

Quartò. Ad iſtud ſimiliter refero ſæculum teſtimonium illud ex Cod. MS. in Archiuijs Eccleſiæ Cathedr. Maſſilienſis, aſſeruato, vbi habetur quòd ante ſæculariz ationem dictę Eccleſiæ Cathed. Maſſil. ſingulis annis in die Natalis Domini noſtri, fiebat in Eccleſia proceſſionalis ſupplicatio, in qua cranium capitis Sancti Lazari deferebatur (reliqua oſſa eiuſdem Sancti ad ciuitatem Heduenſem longè antea circa annum 980. fuiſſe tranſlata dicemus infra, ſæculo X. & §. 14.) At hæc ſæculariz atio contigit anno 1160. ad iſtud ergo ſaltem ſæculum pertinet hoc teſtimonium. *Ex hiſtoria Maſſilienſi lib.* 10.

Quintus huius hiſtoriæ fidejuſſor eſt Innocentius II. qui in diplomate dat. Piſis 4. *Cal.* Iulij anno *1136.* in enumeratione & confirmatione omnium Monaſteriorũ & Cellarum Mo-

er, quod Miræus edidit, de aduentu Magdalenæ Gallias nihil tradit. Sed cui, amabo, magis adhibenda ſit fides, an Miræo, an Baronio? Ille autem hæc ex Sigeberto refert verba, in Martyrologio ad diem 22. Iulij. Deinde antiquioribus magis quàm nuperis credendum eſt exemplaribus. Quod autem addit Sigebertus de exiſtimata iſta tranſlatione Magdalenæ in Monaſterium Vezeliacenſe, de qua infra ſæculo IX. & §. 14. nihil facit contra nos, & magis ſententiam noſtram confirmat, ſicuti & hæc vltima verba, *quanquam aliqui ſcribant quod apud Epheſum quieſcat*, &c. cùm iam deſignata Græcorum opinione contraria, noſtræ tamen aſſentiatur.

Septimus teſtis eſt inſtrumentum authenticum conſecrationis Eccleſiæ Sancti Saluatoris Aquenſis, 7. Idus Auguſt. ann. 1103. vbi fit mentio Sancti Maximini & Sanctæ Magdalenæ, in quorum honore Altare dedicatum eſt, eò quòd fuerint primi Eccleſiæ Aquenſis fundatores. Sic autem habet inſtrumentum: *Anno Domini 1103. Dominus Petrus Aquenſis Archiepiſcopus, conuocatis quibuſdam Comprouincialibus Epiſcopis, apud Aquas-Sextias, videlicet Domino Gibelino Arelatenſi Archiepiſcopo, & Petro Cauallicenſi Epiſcopo, D. Berengario Foroiulienſi Epiſcopo, D. Augerio Regienſi Epiſcopo, vnà cum concilio Clericorum ſuorum, videlicet Fulconis Præ-*

poſiti, & Hugonis Archidiaconi, Bremundi Sacriſtæ, & Archipræsbyterorum Gaufridi, & aliorum, quorum nomina, timendo moras non enumeramus, ſtatuit conſecrare Eccleſiam Domini Saluatoris hic nouiter fundatam inter duas Eccleſias, videlicet aduerſus Septentrionem Eccleſiam Dei Genetricis ſitam, (& eſt illa nunc amplior Eccleſia, vbi ſunt Patres Capucini, quæ antiquitùs vocabatur Sancta Maria de Conſolatione) *verſus Meridiem verò Eccleſiam Ioannis Baptiſtæ poſitam* (& eſt illa Cappella, cui adiectum eſt ſuburbanum illud Templum Sancti Ioannis Ordinis Melitenſis, quod erat antiquitùs locus Academicus ciuitatis Aquenſis, vt conſtat ex illo lapide inibi poſito, & paucis ab hinc diebus ablato, in quo hæc legebatur inſcriptio, MINERVAL.) *Oratorio quoque eiuſdem Domini noſtri Saluatoris verſus Orientem conſtructo* (& eſt illud ſacellum antiquiſſimum in eadem Eccleſia Sancti Saluatoris, vbi creditur Magdalenam ſumpto Viatico manu Maximini obdormiiſſe in Domino, & ibi illius factas fuiſſe exequias, vt habent acta Magdalenæ apud

o 9. Vincentium, & alios, quanquam Sammaxi-

ecul. ſtor. minenſes id contigiſſe Sammaximini exiſti-

103. ment) *Hanc denique conſecrationem Dominus Petrus Archiepiſcopus, tantorum virorum Religioſorum, quorum ſuperiùs nomina enumerauimus, authoritate muniri voluit, quatenus venerabilis Eccle-*

glorioſi Saluatoris à venerabilibus viris conſecra-, impoſterum per infinitum venerabiliùs veneratur. Sed quoniam earumdem Eccleſiarum, quas periùs enumerauimus, B. Maximinus, & B. Magdalena primi fundatores extiterunt, in eadem Eccleſia Saluatoris à ſupradictis Religioſiſſimis viris, in honore B. Maximini *&* B. *Mariæ* Magdalenæ, *Altare dedicatum eſt, cuius conſecrationem in hac præſenti pagina deſcribimus, videlicet 7. Idus* Au*guſti, quatenus futuris temporibus abſque vlla dubitatione in Eccleſia illa dies iſta celebris annuatim celebretur*, &c. Ex Archiu. S. Saluat. Aqu.

SÆCVLO XI.

PRimum huius ſæculi teſtimonium, erit fundatio, aut potiùs dotatio Eccleſiæ Cathedralis Tolonenſis, à Gilberto Comite Prouinciæ, anno 1096. vbi habetur expreſſe quod B. Magdalena, & alij, fuerint in Prouincia, his verbis: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, amen. Anno Incarnationis eiuſdem 1096. die Iouis 13. menſis Auguſti, &c. ad æternam rei memoriam pateat omnibus*, &c. *Quòd nos Gilbertus de Tarenta filius Ado* (vel Vdo) *Dei gratia* Comes *Prouinciæ*, &c. *Motus deuotione & fide Catholica, ordinamus & conſtituimus fundationem in vrbe Toloni, ſub titulo B. Mariæ de Sede, propter memoriam de noſtro euentu in hac vrbe, cum noſtra con-*

iuge Domina Tiburgia filia Domini Thibaudi Comitis Roddij & Giuaudani, &c. *Primò ſit datum Reuerendiſſimo Domino Iacobo de Palma Epiſcopo Tolonen. quingenteſimos florenos pro ſua diſpenſatione*, &c. *& pro reparatione Eccleſiæ Sanctæ* Mariæ, *à Beato Cleone ædificata*, *ex tempore aduentus* Beatæ Mariæ Magdalenæ, *& aliorum Sanctorum & Sanctarum*, *qui in hac ciuitate euenti fuerunt*. Et reliqua, & poſt alia multa pia opera facta in honorem dictæ Eccleſiæ, *propter remiſſionem peccatorum noſtrorum* (inquit) *& memoriam anteceſſorum noſtrorum*, *Domini Guillelmi de Tarenta*, &c. quia tunc temporis circumferebatur quoddam inſtrumentum antiquum, de anno 572. in quo deſcriptæ erant vitæ Sanctorum Tutelarium Eccleſiæ Tolonenſis, nempè Sancti Cleonis, vnius ex 72. Diſcipulis, qui cum Beata Magdalena venit in Prouinciam, & aliorum Sanctorum, ad perpetuam memoriam, ne deperiret, iuſſit inſeri in iſto, his verbis, *quod etiam volo in præſenti inſtrumento ſit inſeratum*, cuius inſtrumenti (in quo fit mentio B. Magdalenæ & aliorum) tenorem dabimus infra ſæculo VI. quæ duo antiquitatis monumenta extant in Archiuijs Regijs Aquenſibus in Regiſtro Clementia, fol. 107. cuius etiam inſtrumenti meminit Dominus Antonius du Blanc Præpoſitus Tolonenſis in Officio Sancti Cypriani Tolonenſis

ſis Epiſcopi, edito Pariſijs anno 1621.

Quòd autem ſupradicta ſint vera, patet ex hiſtoria Maſſilienſi, vbi habetur quòd verè anno 1096. viuebat Gilbertus vltimus Comes Prouinciæ, ex progenie Boſonis, cuius auus vocabatur Guillelmus, cuius pater vocabatur Bertrandus, & aliquando Vdo (vt habetur in Pontificio Arelatenſi apud Saxium, vbi nominatur iſte Gilbertus filius Bertrandi, ſeu Vdonis) cuius vxor vocabatur Tiburgia filia Comitis de Rhodez, & de Giuaudan: quæ omnia concordant cum his quæ habentur in iſto inſtrumento. Libr. cap. & ſe. Pagi 220.

Secundus huius ſæculi teſtis erit Iulianus Petri Hiſpanus Archipræsbyter Sanctæ Iuſtæ, qui floruit ætate Alphonſi VI. circa annum 1085. cuius opera, diu à multis deſiderata, in lucem prodiere, anno 1628. Hic in chronico ſuo ita habet ad annum Chriſti 254. *Hoc anno reperta ſunt corpora Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Maximini, & Marcellæ Virginis, in vrbe Aquenſi Galliæ*, &c. Vnde autem acceperit iſte Iulianus hanc inuentionem eſſe factam hoc anno 254. non eſt noſtrum quærere. Neque enim hoc teſtimonium ad ſæculum III. reducimus, ſed ad XI. in quo ipſe Iulianus viuebat: nobis ſufficit, quòd iſti ſæculo XI. iam viguerit iſta noſtra ſententia.

Tertium huius ſæculi teſtimonium, eſt

putare, qui & curam illic Dei diligenter habeant, opus Dei regulari ſtudeant inſtructione peragere, &c. Ex Archiuijs S. Victoris Maſſilienſis.

Quartum teſtimonium, eſt Benedicti IX. Diploma pro dedicatione & cõſecratione Eccleſiæ S. Vict. Maſſil. Ord. S. Bened. anno 1040. vbi diuerſa Pontificum, Imperat. & Regum huic Eccleſiæ conceſſa priuilegia enumerans nonnullas quoque quorumdam Sanctorum inibi quieſcentes Reliquias recenſens, *Sancti Lazari à Chriſto reſuſcitati* Reliquiarum meminit: at non aliunde, quàm ex Eccleſia matrice Maſſilienſi, habuiſſe iſtos Monachos Benedictinos, Reliquias Sancti Lazari, pluſquam veriſimile eſt, vt quid apud exteras gentes mutuari, quod domi, & inter familiares reperiri poteſt? *Ex eiſdem Archiuijs S. Victoris.*

Quintum teſtimonium eſt traditio Eccleſiæ Cœnobij ſanctiſſimæ Trinitatis Vindonicenſis, circa vnam è Chriſti lachtymis, quas Chriſtus in ſuſcitatione Lazari effuderat, quam lachrymam miraculosè in ampulla vitrea contentam Conſtantinopoli Vindonicum (vulgo Vandome) eductam volunt Vindonicenſes, circa annum 1030. à Godofredo Martello Comite Andegauenſi, quem Henricus I. Francorum Rex, ad Orientis Imperatorem, auxiliaribus copijs præfectum, aduerſus Mahometanos tranſmiſerat, quam la-

chrymam cenſent Magdalenam conſeruaſſe, & morientem eam reliquiſſe B. Maximino, qui eandem Maſsilienſi dono dedit Eccleſiæ, è qua iuſſu Conſtantini Magni, vbique terrarum Reliquias perquirentis, tranſlata eſt Conſtantinopolim, & ex ea poſtmodum Vindonicum à prædicto Godofredo Martello: *vt ex tabularijs Cænobij Vindonicen. & Conuentus Maſsilienſis Fratrum Franciſcanorum de Obſeruantia, & ex Chronograph. Belloforeſtij refert Emmanuël Pachier. Canonicus Theologus Maſsilienſis, lib. de vita Sancti Lazari, cap. 5.*

SÆCVLO X.

PRimus huius ſæculi teſtis, erit translatio Reliquiar. S Lazari Maſsilien. ad ciuitatem Heduenſem, ſiue Auguſtodunenſem, à nonnullis circa ann. 957. ab alijs 980. ex epiſt. D. Moroges Cauſidici Heduenſis, 21. Iunij ann. 1642. ad R. P. Ioannem Iacobum Auguſtin. Aquis, qua illi ſignificat ex faſtis Eccleſiæ Cathedralis Heduenſis, conſtare Gerardum de Rupe 46. Epiſcopum Auguſtodunenſem, à Rege Francorum ad tractanda quædam negotia Maſſiliam miſſum, quibus fœliciter expletis, integrum B. Lazari corpus, excepta Mandibula inferiori, ex dono Maſsilienſium ad ciuitatem tranſtuliſſe Auguſtodunenſem.

Occaſio autem poſtulandi has Reliquias, eaſque Auguſtodunum transferendi, erat quædam Eccleſia in honorem *B.* Lazari in ciuitate Heduenſi ædificanda, cuius Eccleſiæ iam poſuerat fundamenta Capitulum dictæ Eccleſiæ Cathedralis Heduenſis.Hæc ille; ſed quod de Mandibula iſta inferiori tradit Scriptor, hoc de cranio capitis B. Lazari, quod nunc adhuc Maſſiliæ colitur, tenet traditio, & hiſtoria Maſſilienſis, vt infra §. 14. dicemus.

Secundus teſtis, erit Vuilelmus Gerardus filius Hugonis, Marchionis Italiæ,& Præfectus totius Regni Arelat. circa annum 935. qui deuotionis cauſa ſpecum in quo *B.* Magdalena egit pœnitentiam viſitauit. De eo enim ſic habet Hiſtoricus Alphonſus Delbene Epiſc. Albienſis, quòd *dimiſſo exercitu Arelaten proficiſcitur: hinc cùm Rex abijſſet, is erat Maſſiliæ, in itinere antrum, in quo D.* Magdalena *pœnitentiam egit, & animam efflauit (vt fert eius hiſtoria) viſere ſtatuit*, &c. Li. de Bu. A

Tertius teſtis,erit Codex MS. Eccleſiæ Cathedralis Senecenſis,vbi inter diuerſas Legendas plurium vetuſtiſſimorum Sanctor. huius prouinciæ, hæc Magd. hiſtoria his verbis exponitur: *Qualiter* M. *Magdalena, Diuina ordinante clementia, cum S. Maximino mare tranſierunt, & in Aquenſem Regni Prouinciæ regionem peruenerit*, &c. *Rexit autem Eccleſiam Aquenſem*

ſaltem adſcribendum eſt ſæculo, quanquam vlteriùs poſſemus progredi, quia in iſto Codice MS. plura alia antiquitatis referuntur monumenta, longè antiquiora.

*S*ÆCVLO IX.

HOc ſæculum ſicut & præcedens ita fuit infœlix, vt paucos habuerit Scriptores, nullaque ferè Concilia, vt indicant omnes ferè Hiſtorici, ideoque vocatur vulgò ſæculum ignorantiæ: proindeque pauci occurrunt teſtes, hanc veritatem atteſtantes. Iſti tamen referenda eſt ſæculo, ſuppoſititia illa, de qua pluribus infra §. 14. Reliquiarum B. Magdalenæ, è ciuitate Aquenſi ad Monaſterium Vezeliacenſe in Burgundia, tranſlatio, quæ ſub Gerardo Comite Burgundiæ à multis commemoratur eſſe facta: & licet communiter à multis adſcribatur anno 745. aut 749. & ſic ſæculo VIII. nihilominus anno 849. ſiue hoc ſæculo IX cenſeo contigiſſe, quia in hiſtoria *Burgundiæ*, & in Maſſilienſi, habetur, quòd tempore Caroli Calui *Francorum* Regis, circa annum 850. quidam Gerardus de Roſſillon Comes Burgundiæ erat Gubernator Prouinciæ: quod item demonſtratur ex epiſtolis Hincmari Rhemenſis Archiepiſc. ad ipſum Gerardum, cui tanquam Gubernatori Pro-

Aquenſi Rationum curia Procuratorem Regium, cuius codicis hæc ſunt verba: *Quoniam Diuinæ placuit miſerationi, vt præſentia corporis B. M. Magdalenæ Occidentalis plaga illuſtraretur, largiente Domino Saluatore aggrediemur exponere, qualiter eiuſdem Dei dilectricis ſanctiſsima gleba, ex Aquenſi territorio Prouinciæ, ad locum in quo hodie pia fidelium deuotio eam veneratur, à viris Religioſis tranſlata eſt. Anno igitur Paſsionis, vel Reſurrectionis Dominicæ plus minus octingenteſimo quadrageſimo nono, regnante Ludouico piiſsimo Regum, necnon & filio eius Carolo* (hic eſt Carolus Caluus filius Ludouici) *viguit pax atque progreſſus Chriſti Eccleſiæ in orbe terrarum, præter infeſtationes gentis Saracenorum, quæ fiebant præcipuè à partibus Hiſpaniarum, eo quoque tempore partem maximam totius Burgundiæ Gerardus Comitum nobilitate & armis copiaque diuitiarum præſtantiſsimus, ac prædictorum Regum affinitate proximus, iure hæreditario poſsidebat, cui erat vxor nomine Bertha, non diſpar natalibus, admodum moribus egregia*, &c. (Ex nomine vxoris *Berthæ* colligitur hunc Gerardum eſſe eum ad quem ſcripſit Hincmarus ſupra) poſtea ſubdit, quòd cùm ipſe Gerardus careret liberis, Chriſtum hæredem inſtituit, ædificando multas Eccleſias & Monaſteria, & inter alia illud celeberrimum Vezeliacenſe, ad quod Reliquias beatæ Magdalenæ curauit transferri, vtendo opera &

gno, alij ſub Carolo Martello, ſæculo VIII. cùm ſub neutro vixerit, ſed ſub Carolo Caluo, ſæculo IX. vt paulò ſupra probatum eſt, proindeque non accidiſſe hanc tranſlationem anno 749. ſed anno 849. nihil enim frequentius apud litteratos conſtat, quàm in apicibus iſtis numericis interueniri errorem, aut incuria amanuenſium, aut indiligentia Scriptorum. Enimverò, magnus ille vir, & æterna gloria laudandus Ioannes Trithemius, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. loquens de admirando illo viro S. Cæſario Arelatenſi, ait eum vixiſſe anno 670. idemque ſentit Petrus Sifredus, in annotationibus ad Gennadium, & tamen conſtantiſſimum eſt obijſſe eum anno 544. vt infra ſæculo V. ex diuerſis authoritatibus ſumus probaturi. Quidni ergo, & in annali numero iſtius tranſlationis apud nonnullos Scriptores potuerit, vel ex incuria, vel ex ignorantia interueniri error, ita vt loco 849. ſcribatur 749?

SÆCVLO VIII.

HVic ſæculo VIII. Reliquiarum B. Magdalenæ in abditis terræ locis, propter metum Saracenorum, occultatio communiter tribuitur, videlicet à quibuſdam ann. 700. menſe Decembri, ab alijs anno 710. & ab

profectus ſum de induſtria. Sed cum aut ſumma vetuſtate, aut frequenti membranæ affrictu, ita omninò obliteratum inueni, vt impoſſibile ſit, adhibita quacumque humana ſolertia, poſſe legi. Quod & ipſum quoque (vt mihi ibidem ſignificatum eſt) ſcire tentauerat, ſed perperam, ſiue per reflexionem luminis ex ſpeculo, ſiue per refractionem eiuſdem, ex laguncul is aqua plenis, quatuor ab hinc annis eruditiſſimus ſimul ac ſolertiſſimus Petrus Gaſſendus Præpoſitus Dignienſis, cuius opera & induſtria ad id præſtandum vſus eſt potentiſſimus & doctiſſimus Princeps Ludouicus Valeſius, Comes Alenſis, & Prouinciæ Prorex, cùm antiquas illas omnes, quæ in ſepulchro B. Magdalenæ fuerunt repertæ, ſchedulas recognouit, & tabulis publicis tranſcribendas curauit. Sic autem habet illius inſtrumētum; *Altera verò tota quidem legi propter characteres vetuſtate deletos non potuit, collata tamē cum ſcripto pridem exarato in vetuſto codice, qui in Archiu. aſſeruatur, huiuſce tenoris deprehenſa eſt. Anno Natiuit. Dominicæ ſeptingenteſimo, ſexto decimo die menſis Decembris, in nocte ſecretiſsima, regnante Odoino*, &c. vt ſupra. Codicem quoque iſtum in Archiuijs aſſeruatum vidi, in quo hæc habentur: *Anno Natiuitatis Dominicæ ſeptingenteſimo* (punctum) *ſexto decimo die menſis Decembris* (hinc malè ſtatuitur à quibuſdam

hæc occultatio Reliquiarum anno 716.) *regnant Odoino*. Et reliqua vt ſupra.

Sed quidquid ſit de veritate, & certitudine iſtius Codicis in Archiuijs aſſeruati, de quo paulò poſt, quia annalis iſte numerus non rectè congruit ætati qua viuebat Odoinus, ideò hanc Reliquiarum B. Magdalenæ occultationem recentiorem eſſe, & ad ſæculum IX. videlicet anno 896. referendam eſſe (pace multorum dixerim) exiſtimo, quod nonnullis argumentis demonſtrare intendo.

Primò. Authoritate Bernardi Guidonis Epiſc. Lodouenſis, quem ſæculo XIV. nempè anno 1320. ſuum ſpeculum Hiſtoriale edidiſſe diximus. Sic enim habet loquens de ipſa Reliquiarum inuentione à Carolo II. apud Gueſnæum pag. 153. *In eodem quoque tumulo, iuxta corpus ſacrum, ad aſſertionem & teſtimonium perpetuæ veritatis, cartellus quidam vetuſtiſſimus, concluſus in ligno quodam, pro conſeruatione à putrefactione, repertus fuit, continens hanc ſcripturam. Anno Natiuitatis Domini 896. menſe Decembri, in nocte ſecretiſſima, regnante Odoino pijſſimo Francorum Rege, tempore infeſtationis gentis perfidæ Saracenorum.* Et reliqua vt paulò ſupra. Poſtea ſubdit: *Iſtum ego cartellum vetuſtiſſimum legi, qui hæc ſcribo, & vidi ibidem in Sacrario reſeruari in teſtimonium veritatis*, &c.

Secundò. Verè hoc tempore regnabat Ot-

to, vel Odo, vel Odoinus, Comes Pariſienſis, qui licet non eſſet de ſtirpe Regia, tamen verè corona Regni fuit inauguratus, & ſub nomine Caroli III. ſeu Craſſi verè regnauit, & præcipuè ab eius morte circa annum 888. vſque ad annum 897. Regnum ſibi vſurpando, & meritò inter Reges Franciæ ab omnibus Hiſtoricis recenſetur: anno verò 700. vel 710. vel 716. nullus regnabat in Francia Otto, vel Odoinus, ſed Childebertus, Dagobertus, & Chilpericus. Neque cenſeo recurrendum cum Gueſnæo, & Iordano, & alijs, ad Eudonem Aquitaniæ Ducem, qui circa annum 700. viuebat. Vt quid enim (præter diuerſitatem nominis) Aquitaniæ Dux, Rex Francorum nominandus ſit? an ita Prouinciales aut ignari aut iniuſti erant, vt coronam Regni Francorum Aquitaniæ Duci detulerint? Video mihi opponi poſſe, non ſolitos fuiſſe Prouinciales deſignare in ſuis inſtrumentis nomina Francorum Regum, ſed aut Comitum ſuorum, aut Imperatorum, ab eò tempore, quo iſta pars Regni Prouincia ad Boſonem, circa an. 880. & eius familiam, deuenerit. Verùm licet nouiſsimis temporibus morem iſtum ita ſcribendi concedam: vt nonnullis exemplis probat Petrus Saxius in Pontificio Arelatenſi, circa annum 1054. & *1133.* vbi Regnum Henrici III. & Lotarij II. Imperatorum apponitur initio in-

ſtrumenti: tamen hoc non ita factum eſt ab initio, & circa tempus huius inſcriptionis: immò Boſo ipſe adhuc fiduciarius erat Regi Francorum, ſub Carolo *Craſſo*, circa annum 877. ex Vignerio in chronic. Burg. Vnde cùm iſto cartellus fuerit ſcriptus tantùm 9. poſt annis, nempe anno 896. vtebantur adhuc Prouinciales antiquo illo more apponendi nomen Regum Francorum in inſtrumentis: nec ita citiùs Arelatenſe Regnum ad partes Imperij declinauit, & nonniſi poſt Regnum iſtius Odoini factum eſſe exiſtimant nonnulli, nimirum tempore Caroli Simplicis, circa ann. 900. à quo cœperunt eſſe Marchiones aut Comites Prouinciæ, Imperatoribus vtcumque fiduciarij: dico vtcumque, quia Bertrandus filius Gaufredi anno 1081. non alterius quàm Dei gratia Comitem ſe nominat, apud Baron. anno 1081. n. 33. cùm clientelare ſacramentum Greg. Papæ VII. præſtitit, his verbis: *Ego Bertrandus Dei gratia Comes Prouinciæ*, &c. *tibi Domino Papæ Gregorio*, &c. *fidelis ero*, &c.

Tertiò. Cur anno 700. aut 710. aut 716. abderentur Reliquiæ propter metum Saracenorum, aut cur iſtud tempus vocaretur in cartello, *tempus infeſtationis gentis perfidæ Saracenorum*: cùm ante annum 730. non venerint in Prouincam, vt certiſsimum eſt apud omnes Hiſtoricos; nec ferè ante ann. 710. ex Africa

egreſsi

egreſſi Hiſpaniam inuaſerint. Sed dices, cur ita diutiùs differenda ſit hæc occultatio vſque ad annum 896. cùm iam multis annis antea Saraceni tranſierint verſus Italiam, nec eſſet occaſio illos timendi? Referam quòd multi Hiſtorici dicunt, videlicet, quod quamuis Saraceni hoc ſæculo VIII. verſus Italiam declinauerint, ibique Calabriam, Apuliam, *Barium*, *Beneuentum*, Tarentam, & alia Italiæ loca, per longiſsimum tempus occupauerint: tamen quia ex Hiſpania adeundo Italiam, eorum tranſitus erat per Prouinciam, & nonnunquam in ea alternis vicibus ab eis fiebant excurſiones, ideò ſemper erat timendi locus: & ſanè ex diuerſis M S. Codicibus apud Andræam du Cheſne, habetur, quòd circa ann. 812. Centumcellas ciuitatem Tuſciæ, & Nicæam Prouinciæ, & totam Prouinciam Narbonenſem, occaſione alicuius iniuriæ eis illatæ vaſtauerint. Vnde quia circa hoc tempus occultationis Reliquiarum, nempe ann. 892. Saraceni ad partes Longobardiæ iam excurrerant, & Alpes Cottias, quæ ſunt in Metropoli Ebredunenſi, & finitimæ, immò & contiguæ Prouinciæ, iam occupauerant, indeque redeundo ad patriam, timebatur ſubitus & improuiſus illorum in Prouinciam deſcenſus; ideò Sammaximinenſes aut Aquenſes timentes ne in ſecundo eorum tranſitu fierent

Tom. pag. 6 & 87

Sacrorum expilationes, ſicuti factæ fuerant in primo, circa annum 730. effringendo ſacrilegè ſepulchrum Sancti Cæſarij Arelate, & totam Inſulam Lerinenſem tempore Sancti Porcharij Abbatis depopulando, conſultiùs agentes B. Magdalenæ & aliorum Reliquias, in terræ viſceribus circa hoc tempus, forſan ſecunda vice abdidere. Dixi forſan ſecunda vice, quia probabile eſt in primo Saracenorum tranſitu, circa annum 720. eas omnes Reliquias Magdalenæ, Maximini, Cidonij, & aliorum, & forſan vnà cum eorum ſepulchris, ex Aquenſi ciuitate ad oppidum Sammaximinenſe tunc adductas, primò fuiſſe in crypta inferiore occultatas, licet de iſta occultatione non extet teſtimonium; & cùm iterum ad inſtantiam Gerardi Comitis Burgundiæ Reliquias *B.* Magdalenæ poſtulantis, hæc crypta fuiſſet aperta, & Saracenorum hoc ſæculo anno 896. timeretur regreſſus, iterum ſecunda vice fuiſſe reconditas, & in hac ſecunda occultatione ſcriptum fuit iſtud programma.

Quartò. Ex iſtis verbis, *quia ſecurius aut ſecretius eſt hic, amoto corpore Cidonij*, colligitur hanc occultationem poſteriorem fuiſſe ipſi creditæ tranſlationi Reliquiarum ad Monaſterium Vezeliacenſe. quæ contigit anno 849. Iſta enim verba, *amoto corpore Cidonij*, non ſignificant mutationem aut tranſlationem corpo-

rum in diuerſa ſepulchra, vt èxiſtimant nonnulli, ita vt corpus Cidonij quod erat antea in ſepulchro marmoreo, repoſitum ſit in ſepulchro alabaſtrino Mаgdalenæ,& vice verſa corpus Magdalenæ tranſlatum ſit de ſepulchro ſuo alabaſtri, & repoſitum in marmoreo,quod erat Cidonij,& ita ſit ſola immutatio inter hæc duo corpora ſancta: aliter enim loquutus fuiſſet huius ſchedulæ ſcriptor, & ad hoc deſignandum, verbis mutationis aut inuerſionis vſus fuiſſet: ſed iſta verba, *amoto corpore Cidonij*, verè ſignificant iſtud corpus iam deſiderari, & aliò fuiſſe traductum, & tranſlatum.

Quinto. Si hæc ſchedula ſcripta fuiſſet ante exiſtimatam iſtam tranſlationem Reliquiarum in Burgundiam, cur ablatis Reliquijs Magdalenæ fuiſſet relicta in eius tumulo? nam vel iſtæ Reliquiæ fuerunt furto ſurreptæ à *B*urgundis: vel à Prouincialibus dono traditæ ijſdem *B*urgundis. Si illud, cur ſurripiendo Reliquias *B*urgundi reliquiſſent in tumulo iſtud ita efficax teſtimonium, ad probandam veritatem Reliquiarum Magdalenæ, quas transferre credebant? Si iſtud, cur Prouinciales conceſſo corpore Magdalenæ non tradidiſſent etiam hanc ſchedulam? aut cur eam ablato corpore reliquiſſent in tumulo? manifeſtè conſtat hanc ſchedulam & occultationem Reliquiarum poſteriorem eſſe ip-

ſi tranſlationi creditæ in Burgundiam, quæ cùm contigerit anno 849. vt pluribus argumentis probaui ſæculo ſuperiori, ſequitur hanc ſchedulam ſcriptam eſſe anno 896.

Neque dicatur hanc Reliquiarum occultationem in ſupradicto Codice, in Archiuijs Cœnobij Sancti Maximini, deſignari anno ſeptingenteſimo, quia cum iſte Codex non ſit prototypus, ſed apographus ſiue tranſumptus ex archetypo, qui eſt in theca Reliquiarum, nec ſit multùm vetus, non caret ſuſpicione, quoad iſtum numerum. Cùm enim cartellus iſte ex membrana prototypus, in theca Reliquiarum aſſeruatus, ſit ita vetus vt iam pridem fuerit obliteratus, facilè ſuſpicor ægrè quoque eum potuiſſe legi eo tempore, quo in illo codice in Archiu. fuit tranſcriptus, ab ineruditо forſan quodam amanuenſi, hiſtoriæ Regni Odoini ignaro, qui loco octingenteſimo nonageſimo ſexto, poſuit ſeptingenteſimo ſexto decimo: in apicibus iſtis numericis facile interuenit error, vt ſæculo ſuperiori exemplis probaui, & præcipuè quando annalis numerus characteribus numericis deſignatur, ſicut forſan (quia ex archetypo, vt ſupra inſinuaui, non poteſt deprehendi contrarium) factum fuit in iſto cartello. Quin etiam (quod valde notandum eſt) iſtud nomen *ſeptingenteſimo*, in ſupradicto codice Archiuij ſcriptum

cenſoria litura per medium, & ad longum obſeruaui obliteratum, idque autumo, forſan factum fuiſſe poſtea, à quodam hiſtoriæ gnaro hunc annalem numerum damnante. Adde quòd cùm in eodem codice habeantur multa alia, quæ non poſſunt certiſſima veritate niti, quale eſt illud ſcriptum, *Mirabilis & glorioſus Deus*, &c. & alia ſimilia, conſtat ab indocto quodam editum fuiſſe ſcriptore, & illius authoritatem vtcumque vacillare, quoad iſtum annalem numerum, neque certò ſtatuendam eſſe hanc occultationem Reliquiarum, anno 700. aut 716. & ſic anteriorem exiſtimatæ illi tranſlationi Reliquiarum in Burgundiam: ſed anno 896. in quo regnabat iſte Odoinus, ac proinde poſteriorem eidem tranſlationi.

Hinc peremptoria educitur reſponſio ad id quod aiunt Vezeliacenſes, ſe habere corpus Magdalenæ: ſi enim creditæ illi in Burgundiam translationi, occultatio iſta Reliquiarum ſtatuatur poſterior (vti reuera eſt) perperam glorientur Vezeliacenſes habere corpus Magdalenæ, cùm Prouinciales 47. annis tantùm, poſt prædictam translationem, Reliquias metu Saracenorum recondentes, ſcripto teſtentur, ſe habere adhuc veras Magdalenæ Reliquias. Ad quod non aduertunt qui hanc ſtatuunt occultationem anno 700. vel 716. proindeque ipſi translationi anteriorem. Nec

video quid Vezeliacenſibus appoſitè & peremptoriè poſsint reſpondere. Sed de his plura infra §. 14.

Præter iſtum cartellum, aliud vetuſtiſſimum antiquitatis monumentum, in eodem Magdalenæ ſepulchro repertum fuit, in ipſa inuentione Reliquiarum à Carolo II. de quo ſic Bernardus Guido, loco citato: *Tunc & reperta fuit per eumdem Carolum cum Prælatis in tumulo memorato ſcriptura alia vetuſtiſſima, in quodam cartello cera vndique exteriùs cooperta, quæ vix præ vetuſtate legi potuit, quæ talis erat.* H*IC REQVIESCIT CORPVS MARIÆ MAGDALENÆ.* Cui quidem programmati, licet non ſit adſcriptus annalis ſcriptionis numerus: tamen certiſſima coniectura ſæculo 3. fuiſſe ſcriptum infra demonſtrabo. Et quamuis huic ſæculo 3. non eſſet aſſignandum, antiquius ſaltem iſti ſæculo 8. aut 9. fatendum eſt. Vt quid enim præter primum cartellum, in quo ſit mentio anni occultationis Reliquiarum Magdalenæ, alia ſchedula teſtificans hoc eſſe verè corpus M. Magdalenæ ſcribenda eſſet? Cùm ergo ſint duo diuerſa teſtimonia, eamdem rem indicantia, vnum ſine dubio antiquius eſt altero. Impertinens enim fuiſſet, eodem tempore eiuſdem rei duo diuerſa exarare vadimonia. Adde quod idem Auſtor Bernard. Guido, qui ann. 1320. vitam-

que legit,& retulit ſchedulam, non dixiſſet de ſecunda, *quæ vix præ vetuſtate legi potuit*, niſi illam iudicaſſet longè antiquiorem prima, de qua tantùm dixit, eſſe vetuſtiſſimam. Quin etiam homini valdè litterato, & rerum priſcarum perſcrutatori, qualis erat iſte Guido, ſcriptura *424.* annorum tantùm, vt fuiſſet iſta, non ita lectu difficilis fuiſſet. Manifeſtum ergo eſt, eam eſſe ſcriptam ante ſæculum 9. aut 8. & ideò meritò ad ſæculum III. infra referemus.

Cæterùm hæc duo programmata, tanquam indubitatæ fidei pro veritate Reliquiarum B. Magdalenæ teſtimonia, recognouerunt & approbarunt multi Prælati huius prouinciç tempore Caroli II. circa annum 1283. paulò poſt inuentionem Reliquiarum, his verbis: *Illæ ſchedulæ quæ in ſepulchro fuerunt inuentæ, facientes de B.* M. *Magdalenæ corpore mentionem, ſicut in Litteris plurium Prælatorum, ac Excellentis viri D. Caroli Principis Salerni ſigillis ſignatis, plenior mentio facta fuit, ſunt hic infra præſentem carthulam intercluſæ, vt eis inſpectis, ac earum vetuſtate & forma ſcribendi* (notentur hæc verba) *debitè ponderatis, Dominus Papa, & qui eas viderint, certitudinem rei firmiorem perpendant. In cuius rei teſtimonium.* N*OS miſeratione Diuina Narbonenſis, Arelatenſis, Ebredunenſis, &* A*quenſis Archiepiſcopi: ac* M*agalonenſis, Agathenſis, & Glandatenſis Epiſcopi, ſigilla noſtra, vnà cum ſigillo*

Principis memorati (hinc colligitur tempus huius approbationis, nempe anno 1283.) *præſenti chartulæ duximus appendenda.* Quæ iterum in authentica atteſtatione anno 1448. recognouit Petrus de Fuxo Cardinalis Legatus Auenionenſis. Et nuper prædictus Dominus Princeps Ludouicus Valeſius, Alenſis Comes, Protex Prouinciæ, die 20. Auguſti ann. 1640. ea iterum recognoſcens, ſummam illorum veritatem, & antiquitatem, ſuo calculo approbauit.

SÆCVLO VII.

PRimus huius ſæculi hiſtoriæ noſtræ ſponſor, erit lapis ille marmoreus quadratus duobus palmis, cum dimidio ex vtroque latere longus, qui viſitur in Eccleſia B. Mariæ de mari, in oppido Trimariano prope Arelaten; in quo lapide Chriſtiani iſtius ſæculi, Reliquias huius Eccleſiæ in terra occultantes (propter ſacrilegas Saracenorum manus, qui iam ſub finem huius ſæculi, quædam loca ſacra, & in Africa, & in Hiſpania depopulati erant) deſignarunt locum, & nomina Reliquiarum, quæ recondebantur. Sed vt res eſſet abſtruſior, & cognitu non ita facilior, ſi ab infidelibus legeretur iſte lapis, litteris quibuſdam inuerſis & retrogradis rem totam tradi-

derunt, eo quo ſequitur modo, iuxta exemplar quod R. P. Michaëlis, in libello de demonſtrationibus Euangelicis ſedulò curauit inſculpi, apprime conformi (vt ait) prototypo, qui adhuc, vt didici, extat quidem: ſed, deuotione populi ſuperſtitioſe hunc lapidem cultello radentis, fere obliteratus.

R

I V M O N ꓭ V S

A VA Ɔ

R I C E

O I T A S A B A R A

.V .S .I .M

Id eſt, *Sub vno muri caua ara Baſilice altiori Mariam Iacobi, Salomes videbis.*

Eſt autem iſta Eccleſia prima illa omnium Eccleſiarum citramarinarum, à Diſcipulis è Iudæa pulſis conſecrata,& in qua reperta ſunt à Renato Siciliæ Rege, & Comite Prouinciæ, corpora Sanctarum Mariarum, anno 1448. de qua pluribus ſupra §. 2. & ſæculo XII.

Verùm, licet iſtud ſcriptum careat die, &

Conſule : huic tamen multò probabiliter cenſeo poſſe adſcribi ſæculo , aut forſan ſæculo 6. ante irruptionem Gothorum in Prouinciam, quamuis prædictus P. Sebaſtianus Michaëlis, ex legenda & traditione iſtius Eccleſiæ, aſſerat hanc inſcriptionem eſſe longè antiquiorem, editam videlicet ſtatim poſt mortem ipſarum Mariarum, quarum corpora, ne ab infidelibus ſacrilegè diſcerperentur,ab ipſarum, in itinere, comitibus, videlicet Trophimo, Ruffo, Eutropio, & alijs, vel à primis Chriſtianis illius temporis fuerunt humi recondita, appoſito, in futuram memoriam, hoc cippo marmoreo, totam hiſtoriam breuiter denotante.

Sed quòd iſta inſcriptio hoc ſæculo *7.* non videatur antiquior, ſuadet primò forma & figura quarumdam litterarum, quæ ſub vno charactere,duplici inſeruiunt litteræ in verbis VNO & CAVA, quem ſcribendi modum non memini me legiſſe hoc ſæculo antiquiorem,& ita exarantur multi characteres in Epitaphio Sancti Æmiliani Abbatis Ord. Sancti Bened. verſus Pyrenæos montes Era DCXII. quod habetur in chronicis Sancti Benedicti, tomo 1. centuria *1.* Suadet ſecundo hoc nomen BASILICE, quod ad Templum deſignandum, ante tempora Sancti Auguſtini aut Hieron. aut Concilij Sardicenſis , anno

 non videtur vſurpatum, vt inſinuat Steph. Durant de Ritib. lib. 1. cap. 1. n. 8. Suadet tertio modus ille ſcribendi diphtongum Æ per E ſimplex, in voce BASILICE, qui antiquam primi ſæculi non ſapit ætatem, in qua diphtongus Æ delineabatur, etiam in iſta Prouincia (vt conſtat ex illa inſcriptione, quæ ex Iano Grurhero pag. 225. eſt in vico le Luc in Prouincia, IVSTITIAE, Et CLEMENTIAE C AE S A R I S, & alia, quæ eſt prope ciuitatem Caſtellanam Prouinciæ, in milliari cippo, cuius meminit Bergier, de via militari Imperij Rom. lib. 3. cap. 31. IMP. CAES. M. AVR. PROBO P. F. IMP. AVG. III. COS P. P. II. Probus autem viuebat circa annum 279. & ex infinitis alijs inſcriptionibus in Pontificio Arelatenſi, & alibi paſſim per totam Prouinciam, in quibus diphtongus Æ notatur) ſed potiùs ſextum aut ſeptimum demonſtrat ſæculum, in quibus modus rectè loquendi, pronunciandi, & ſcribendi latinè, à Gothis fuit corruptus, vt multis exemplis probat Franciſcus Maria Torriges Romanus, libro Italico de Grotte Vaticane, edito Romæ 1635. vbi inter innumeras inſcriptiones habetur iſta, quæ legitur in Eccleſia S. Nicolai in vrbe, † *De donis Dei, & Sancte Dei Genitricis Marie, Sancte Anne, & Sancte Lucie, Ego Anaſtaſius offero Bobis pro Natalices Beſtro Binea,*

&c. pro vobis, & natalicio veſtro vineam vbi diphtongus Æ per E ſimplex exprimitur; & littera B. loco V. exponitur, quem modum loquendi, pronunciandi, & ſcribendi, à Gothis introductum eſſe conſtat, ex vulgari & vernacula loquutione Vaſconum, & Hiſpanorum (penes quos deſierunt Gothorum reliquiæ) qui littera B loco V vtuntur, vt in vocibus Bipera pro Vipera: Santo Pablo pro Santo Paulo, & alijs. Idemque conſtat ex ſupradicto epitaphio Sancti Æmiliani, vbi littera E ponitur loco Æ his verbis, *Emilianus clarus miraculis, & Prophetie ſpiritu*, &c.

Sed vice verſa, quod huiuſm. inſcriptio hoc ſæculo VII. non ſit recentior, patet ex figura & forma harum litterarum, quæ longè abſunt à deformibus illis characteribus vulgo Gothicis, quos recentia inuexerunt ſæcula, & magis accedunt ad formam antiquorum illorum characterum, quibus vtebantur antiquiores Romani, quorum antiquius exemplar adhuc videturRomę, in Columna Roſtrata, in Capitolio (cuius Colũnæ inſcriptionis exactiſſimum exemplar, maiori qua potuimus ſedulitate, papyro madida marmori appoſita, Roma aquas ſupra memorato doctiſſimo & curioſiſſimo Peyreſcij Toparchæ, illud enixè poſtulanti, attulimus) Vnde cùm metu Saracenorum, vel, forſan adhuc antiquiùs, metu

Gothorum abditæ fuerint hæ Reliquiæ, multò probabiliter cenſeo ad hoc ſaltem VII. ſæculum referendum eſſe cippum iſtum.

Secundus huius ſæculi teſtis, erit Theodoſius Archiepiſc. Arelatenſis, circa ann. 648. qui in ordine Pontificum huius Sedis numeratur quadrageſimus, ad quem Patres Concilij Cabilonenſis ſuper Ararim, circa ann. 662. dirigunt epiſtolam, conquerentes de eo, quòd ſtatuta Canonum non ſeruaſſet. Qui Theodoſius, tanquam Primas Galliarum tunc temporis, aut ſaltem vtriuſque Prouinciæ Narbonenſis Metropolitanus, viſitando Aquenſem Diœceſim, diuertit ad ciuitatem Aquas, vbi dicitur ſæpiùs viſitaſſe & veneratum fuiſſe corpus Mariæ dilectiſſimæ Dei Peccatricis, ſcilicet B. Magdalenæ: *Venerabilis vir Theodoſius*, habent acta illius viſitationis, *ex officio Sacerdotij ſui Prouinciam viſitans de anno Chriſti 648. apud ciuitatem Aquas diuertit. Hic præfatus Antiſtes Oratorium, non procul à muro ciuitatis, ad orationem ingrediens, ſæpiùs venerabatur corpus Mariæ dilectiſſimæ Dei Peccatricis, quod ibi à Sancto Maximino tumulatum exiſtit.* Huius teſtimonij meminit R. P. Claudius Cortez Dominicanus in prima editione ſuæ hiſtoriæ de vita B. Magdalenæ, cap. 13. quod habuit à R. P. Ioanne Iacobo Auguſtinianenſi. Ex autographo Epiſcopali Arelatenſi extractum.

Ex quo teſtimonio colligitur primo, noſtram Magdalenam verè eſſe illam peccatricem, & ſimul ſororem Lazari, contra Græcos, qui duas ſtatuunt Magdalenas Euangelicas, vnam peccatricem, & aliam ſororem Lazari, vt pluribus infra §. 10.

Secundo. Magdalenam multò probabiliter Aquis, & non alibi in prouincia obijſſe, cum illius hoc ſæculo reperiatur corpus in Oratorio extra muros Aquenſis ciuitatis, quæ cùm eſſet tunc temporis iuxta Eccleſiam Beatæ Mariæ de Sede, iſtud Oratorium non procul à muro, non eſt aliud quàm veneranda ædicula illa antiquiſſima quæ cernitur in Templo S. Saluatoris, in qua à S. Maximino tumulatum fuit corpus B. Magdalenæ, vt habet teſtimonium Theodoſij: confirmaturque iſta opinio ex his quæ habent variæ Legendæ de B. Magdalena, vbi dicitur quòd ob ſummam loci reuerentiam, in Oratorium, in quo erat corpus B. Magdalenæ, non auderent mulieres ingredi, nec homines armati. At hæc reuerentia huc vſque retinetur erga dictam ſacram ædiculam, nuſquam verò obſeruata erga cryptam Sammaximinenſem, vbi cuiuſcumque ſtatus, ſexus & cōditionis homines confluunt indiſcriminatim. Præterquàm quòd in re incerta, multò probabilius eſt dicere Magdalenam ſumpto Viatico manu B. Maximini

Epiſcopi, ibi obdormiſſe, & ibi factas eſſe illius exequias, præſente Epiſcopo & Clero (vt habent eius acta apud Vincentium) vbi Epiſcopus reſidebat: ſed quis non potiùs dicat Maximinum habitaſſe Aquis in Epiſcopali ſede, quàm Tegulatæ, ſiue oppido Sammaximinenſi? Libr. Specul cap. 10

Quòd ſi quæratur tempus, quo Aquis Sammaximinum tranſlatum fuerit hoc corpus. Probabiliter exiſtimo omnes iſtas Reliquias S S. Maximini, Magdalenæ, Cidonij, Suſannæ, & aliorum, forſan vnà cum omnibus illis ſepulchris, marmoreis, & alabaſtri, quæ in Hypogæo Templi Sammmaximinenſis adhuc videntur, Sammaximinum Aquis delata, circa annum 720. paulò ante aduentum Saracenorũ, vt ibi tutiùs, & decentiùs à Monachis Caſſianitis (qui iam ſine dubio ibi aderãt, vt conſtat ex his quæ dicta ſunt ſæculo X. teſtimonio 3.) & conſeruarentur & colerentur. Is enim mos fuit antiquitùs tempore belli Reliquias ex amplioribus ciuitatibus ad oppidula transferre, & ibi in receſſibus & abditis recondere: ſicuti etiam ſæculo ſuperiori fecere Dignienſes, Reliquias S S. Domnini, Vincentij, & aliorum, ad ciuitatem Senecenſem tranſferentes & latitantes. Probabiliterque cenſeo ab iſto tempore tranſlationis Reliquiarum S S. Magdalenæ & Maximini ad iſtud oppi-

dum, locum iſtum cœpiſſe ita nominari oppidum Sancti Maximini, quod paulò antea in itinerario Antonini Auguſti, & adhuc recentiùs in cartha Putingeriana, vocabatur Tegulata, & Tectolata, vt dicetur infra §. 8.

SÆCVLO VI.

PRimus huius ſæculi fidejuſſor, erit Deſiderius Tolon. Epiſc. an. 572. qui ſtudens conſeruationi eorum, quibus iniuria temporum eſt exitium & interitus, ſpeciale condidit inſtrumentum, in quo continentur geſta quorumdam Sanctorum, quos Eccleſia colit Tolonenſis: & deſcribendo vitam S. Cleonij, primi Tolonenſium Epiſcopi, & vnius è 72. Chriſti Diſcipulis, expreſſe docet hanc noſtram ſententiam, his verbis: *Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitatis eiuſdem, Amen, 572. Ad honorem Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, atque Sanctorum Cleonij, Deuterij, Gratiani, Cypriani, Mandriani, Flauiani, Venantij, qui in Eccleſia noſtra Toloni quieſcunt in pace: quos quidem commemoramus*, &c. *Ego Deſiderius ſeruus Dei, Tolonenſis Epiſcopus, ad perpetuam rei memoriam, in præſenti inſtrumento*, &c. *Collectæ ex nobis ſunt vitæ omnium Sanctorum, qui in hac Eccleſia quieſcunt in pace*, ſubſequenter de B. Cleone. *Cleones fuit vnus ex 72. Diſcipulis Chriſti*, &c.

cui B.

cui B. Petrus Apoſtolus ſpecialiter commendauerat B. Mariam *Magdalenam , ſicut Mater Chriſti Ioanni fuerat commendata. Cùm igitur poſt lapidationem Stephani Iudæorum perſecutio in Diſcipulos ebulliret, vt habetur Actor.* 7. *Iudæi Mariam Magdalenam, Martham, cum Marcella eius pediſſequa, Lazarum, Maximinum, Cidonium, qui cæcus erat à natiuitate, & alios plures, nauicula impoſitos, ſine remo vel remige, mari expoſuerunt, vt ſic in vndis necarentur,* &c. *qui Deo duce omnes incolumes Maſſiliæ applicuerunt, vbi prædicantes vniuerſam* Prouinciam *conuerterunt. Beatus verò Cleones fecit Eccleſiam Taurentij: verbo prædicationis Celſus Præfectus vrbis , cum magna parte populi, ad Chriſtum conuertitur, & Eccleſiam conſtruxit, iuxta Caſtrum in littore maris , quod à Phocenſibus conditum fuit.* Et reliqua. Deinde ſubiungit vitam aliorum Sanctorum, & in fine inſtrumenti ita habet: *Hæc eſt collectio vitæ Sanctorum, à Meſiano Monacho Lerinenſi, ſeu in Martyrologio Martiani (aut Meſiani) atque* B. *Stephano, in vita Sanctorum* Monachorum*, atque manuſcriptis. Et ego Deſiderius Tolonenſis Epiſcopus, ex mea iuſsione hæ vitæ collectæ ſunt, cum ſigno meo, & ſigillo.* Anno *Domini* 572. 4. *Cal. Nouemb.* Quod quidem inſtrumentum, aut potiùs in eo contenta, ne deperirent, curauit inſeri in alio inſtrumento , Gilbertus Comes Prouinciæ, ann. 1096. quæ duo antiquitatis monumenta

extant in Archiuijs Reg. Aquenſibus, in Regiſtro Clementia, fol. 107. vt dictum eſt ſupra, ſæculo XI. quorum etiam meminit D. Anton. du Blanc Præpoſitus Tolonenſis, in Officio Sancti Cypriiani Tolonenſis Epiſc. edito Pariſijs anno 1621.

Hæc autem ſupradicta eſſe vera, conſtat; quia hic Deſiderius viuebat hoc tempore: interfuit enim Concilio Pariſienſi 4. anno 573. & Matiſconenſi 2. ann. 588. Iſti Meſſianus & Stephanus floruerunt hoc ſæculo, & ſcripſerunt vitam S. Cæſarij quæ extat apud Surium, & in Chronologia Lerinenſi. Præterea huius Taurenrij fit mentio, in itinerario maritimo Antonini Augusti, *à Telone Martio Taurentium M. P. XII.*

Alterum huius ſæculi teſtimonium, eſt S. Cæſarij Arelatenſis Archiepiſcopi teſtamentum, per modum epiſtolæ ſcriptum, circa annum 543. quod extat in Chronol. Lerinenſi, pag. 270. & in Pontificio Arelatenſi in fine vitæ S. Cæſarij, in quo teſtamento nominatur quædam Eccleſia Sanctæ Mariæ de Ratis, ſic dicta ſine dubio à Rate aut naui qua Lazarus & reliqui in Prouinciam peruenerunt. *Monaſterio* (inquit S. Cæſarius, in quo Cæſariam ſororem ſuam Abbatiſſam præfecerat) *contulimus agellum ſyluanum, in quo eſt ſita Eccleſia Sanctæ Mariæ de Ratis, & agellum Miſſiamanum, cum*

omnibus ſibi pertinentibus paſcuis, paludibus, &c.
Quod autem iſta Eccleſia B. M. de Ratis, ſit Eccleſia oppidi Trimariani, vulgò (*les trois Maries*) quam credimus eſſe primam omnium Eccleſiarum citramarinarum, de qua pluribus ſupra, in §. 2. & ſæculis XII. & VII. Patet primò ex iſtis verbis, *contulimus agellum ſyluanum*: quia cùm in loco vbi primò conſtiterunt Cælites noſtri, eſſet antiquitùs magna ſylua, vt habent Legendæ, & acta tranſlationis Mariarum, immò & etiamnum, non longè ab oppido Trimariano, ſint multæ & proceræ pinus, vulgo, *la Pinede*, manifeſtè apparet agrum illum ſyluanum, in quo eſt ſita Eccleſia B. Mariæ de Ratis, non eſſe alium quàm ſolum oppidi Trimariani: quod item confirmatur ex Cœnobio Abbatiæ ſyluæ Regalis (vulgo, *Sauuereal*) quod cum ſit in eodem territorio campi Marij (vulgo, *la Camargue*) nec longè diſtet ab Eccleſia S. Mariæ de Ratis, conſtat illud territorium fuiſſe tunc totum ſyluaticum, aut ſyluanum Patet ſecundo ex teſtamento Vuilelmi Comitis Prouinciæ, anno 992. vbi non obſcurè ex quibuſdam verbis, quæ reſtant ex multis obliteratis, inſinuatur illam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ratis, quam S. Cæſarius dedit Monialibus Arelatenſibus, eſſe eamdem, quæ extat in loco maritimo Trimariano, his verbis: *In nomine*

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Anno Incarnationis Ieſu Chriſti Domini noſtri 992. Domnus Princeps & Marchio iſtius prouinciæ Vuilelmus, &c. veniens in Monaſterio Virginum infra muros, &c. ſcilicet in die qua ordinauit Domnam Abbatiſſam . . . . quoque ſacræ Virgines ſimul enixè petierunt illi Domino . . . . quòd iuuamen præſtaret, & ex villis quas Domnus Cæſarius . . . . illas eis redderet, qui liberali animo promiſit ſe facturum. Conſilio autem . . . . Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ eſt fundata in loco maritimo, vbi nuncupatur . . . . . . readificandi locum, ſcilicet . . . . & animæ ſuæ & coniugi, &c. Extat in Archiuijs Virginum S. Cæſarij Arelatenſis.

Patet tertio ex multis inſtrumentis, tum ex Archiuijs Eccleſiæ Metropolit. tum ex illis Cœnobij S. Petri Montis-maioris Arelatenſis, Eccleſiam oppidi Trimariani ſemper, & alternis ſæculis fuiſſe vocitatam Eccleſiam Beatæ Mariæ de Ratis: quæ cum à Comitibus Prouinciæ fuiſſet aliquando occupata, & poſtmodum à Bertrando Comite Prouinciæ, circa annum 1081. Eccleſiæ Metropolitanæ Arelatenſi, concesſa: tandem ab Aycardo Archiepiſcopo Arelat. circa annum 1084. cum conſenſu Ca-

In Pont. Arelat. pag. 111.

pituli B. Petri Montis-maioris, & Monachis, tàm præſentibus, quàm futuris, cum omnibus ad eam pertinentibus, fuit tradita.

Patet denique ex Rate, aut naui, quam pro ſymbolica teſſera in gẽtilitia parma, iſtius oppidi Trimar. incolæ geſtant, qua ſignificare intendunt hanc Eccleſiam eſſe illam B Mariæ de Ratis, & in hac plaga Cælitibus Prouinciæ onuſtam nauim olim conſtitiſſe. *Ex aduerſarijs R. P. Ioannis Iacobi Auguſtinianenſis.*

Huius teſtimonij ex teſtamento S. Cæſarij meminit R.P. Gueſnæus, quod proinde aduerſarius pag. 16. reprobare ſic intendit.

Primo. *Vnde habet* (inquit) *hanc Baſilicam eſſe potiùs M. Magdalenæ, quàm* M. *Iacobi, Salomes, vel Marthæ.* Sed leuis eſt iſta ratio, & verborum S. Cæſarij non benè percipit ſenſum: neque enim in honorem alicuius iſtarum Mariarum erecta eſt hæc Eccleſia: ſed in honorem ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, vt conſtat ex his quæ dicta ſunt in §. 2. & ſæculo XII. & ex teſtamento Bertrandi, de quo paulo ſupra, vbi habetur; *Reddimus libere & abſolute Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ*, &c.

Secundo. Suppoſito falſo fundamento, exiſtimando Gueſnæum dixiſſe hoc teſtamentum S. Cæſarij conditum fuiſſe anno 502. leuiſſimis quibuſdam argumentis conatur probare hanc epiſtolam Cæſarij non fuiſſe ſcriptam

hoc anno: *Deinde* (inquit aduerſarius) *Gueſnæus mentitur* (horret animus) *cùm illam Cæſarij epiſtolam anno* 502. *ſcriptam docet in Breuiario Diſquiſitionis ſuæ*, &c. Proh! quæ immodeſtia, & inuerecundia, talem virum, probatiſſimum olim in tanta Ieſu Societate Theologiæ Magiſtrum, qui & Religioſarum virtutum apparatu, & mira Scientiarum ſuppellectile, non parum inſignis habetur, acri ſtylo pungere, & publicis etiam chartis lacerare! Modeſtiùs ſanè, immò & cum omni laude & gratiarum actione excipiendum eſſet doctiſſimum illius opus, auſpice Magdalena inſtitutum, patrocinante tali noſtræ regionis & Religionis Magiſtra elucubratum, in quo ſi ſobrij Doctoris ſplendet paſſim eruditio, non minùs Religioſi hominis pietas ſuum ſibi decus, publicamque commendationem, non verò conuicia, demereretur. Nec propter hæc doleat, nec his reſpondeat offenſus: nam ſeipſum punit aduerſarius pœna talionis: quem mendacij reum arguit, eodem ſe crimine inculpat, & alapam qua R. P. Gueſnæum vult impetere, ſibi ipſi impingit. Neque enim ait Gueſnæus, in loco citato ab aduerſario, hoc teſtamentum conditum fuiſſe anno 502. ſed anno 508. Vnde nimiùm celeriter, & parùm conſideratè, pace illius dixerim, proceſſit aduerſarius. Aſſerit quidem Reuerendus P. Gueſnæus pag. 83. Cæ-

ſarium floruiſſe Anaſtaſio rempublicam guber-nante, anno ſalutis 502. ſed in Breuiario Diſquiſitionis ſuæ ſæculo 6. ex Pontificio Arelat. & ex tabulario Cœnobij Parthenij Arelat. docet hoc teſtamentum fuiſſe ſcriptum an. 508. (licet in ſæculo 1. ex errore Typographiæ paulò aliter ſcriptum reperiatur) & ſic omnia ruunt aduerſarij argumenta, quibus iſtud S. Cæſarij vult infringere teſtamentum: & multò magis ſi ſupponatur editum an. 543. vt paulò ſupra ſtatui.

SÆCVLO V.

PRimum huius ſæculi V. teſtimonium, erit fundatio Eccleſiæ Collegiatæ Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Pignanenſis, Foroiulienſis Diœceſis, in qua inſinuatur quædam Eccleſia ibidem ædificata, tempore quo B. Magdalena, Prouinciam, verbum Dei prædicando, peragrabat: & licet iſta fundatio attribuatur anno 503. ac proinde ſæculo 6. nullum tamen exiſtimo illi obicem afferri, ſi tribus aut quatuor annis antiquius faciamus hoc teſtimonium, reponamuſque illud ad ſæculum 5. Sic autem habet: *Anno 517. Idibus menſis Iulij Theodoricus Comes Narbonenſis & Prouinciæ, filius Clodouai Francorum Regis, conuocatis Cæſario Epiſcopo, Honorato*

Epiſcopo Maſſilienſi, *Cypriano Epiſcopo Tolonenſi, Didimo Epiſcopo Regienſi, & alio* (forſan Macario) *Epiſcopo Aquenſi. Theodoricus in honorem Ieſu Chriſti & Deiparæ, fundauit hanc Præpoſituram, anno 503. poſt bellum Gothorum, vbi debent eſſe Religioſi Diui Auguſtini, ſub titulo Sanctæ* Mariæ *de Conſolatione, cui Capellam dictus Princeps ædificauit intra ſyluam Pinorum, vbi eſt veſtigium antiquæ Capellæ ſub eodem titulo, in qua inuenta hæc imago ex ligno facta, quæ ex tempore B. Magdalenæ & aliorum Sanctorum, venientium ad prædicandum, condita fuit à B. Nympha nepte S. Maximini Epiſcopi Aquenſis: vbi & ipſa Nympha à Barbaris pro fide Chriſti occiſa, in quo loco fuſi ab eodem Principe Gothi. Hæc fundatio facta eſt ſub Symmacho, & Ceſario Arelatenſi*, &c. Ex tabulis Eccleſiæ Pignanenſis.

Non video quin huiuſmodi inſtrumentum tanquam indubitatæ fidei teſtimonium ab omnibus debeat admitti, quia omnes perſonæ in eo denominatæ, verè eo tempore viuebant. Anno 503. Symmachus erat verè ſummus Pontifex, & Cæſarius, de quo paulò poſt, erat Archiepiſc. Arelatenſis. Anno 517. Honoratus erat Epiſcopus Maſſilienſis, apud Baron.
4. ann. 490. & hiſtoriam Maſſil. Cyprianus erat
1. Tolonenſis Epiſc. in Conſilio Aurelian. 4. De Didimo Regienſi, paulò poſt. De iſto alio Epiſcopo Aquenſi quia non nominatur aut

non potuit legi, facilè ſuſpicor fuiſſe Macarium, qui in faſtis Eccleſiæ Aquenſis numeratur ab anno 506. vſque ad 534. Theodoricus verè erat vnus ex quatuor filijs Clodouæi Francorum Regis: tunc quoque vigebat bellum Gothorum: ideoque teſtimonium iſtud certiſſimum eſt, & à nemine veritatis amico, falſitatis ſuſpicione poteſt inſimulari, cuius etiam inſtrumenti meminit Pater Gueſnæus pag. 122.

Nihilominus quia iſtud teſtimonium valdè premit, & peremptorie conuincit; aduerſarius, vt eſt acutiſſimi & ſolertiſsimi certe ingenij, ad illud eneruandum octo opponit p. 29.

Primum, concedendo quidem Symmachum ann. 503. ſub quo facta dicitur iſta fundatio, eſſe vere ſummum Pontificem: negat verò Cæſarium eſſe tunc Epiſcopum, quia per 40. annos tantùm vixit in Epiſcopatu, & anno 544. obijt, vt indicat *Baron.* hoc anno. Ergo non anno 503. ſed 504. cœpit eſſe Epiſcopus. Verùm minutiſsime quidem procedit aduerſarius, nec propter trimeſtre, quo forſan dilata eſt mors *Cæſarij* à *Baronio*, è cathedra Arelatenſi deijciendus eſt, cùm aliunde in Pontificio Arelatenſi, apud *Petrum Saxi*, mihi conſtet ſediſſe in hac cathedra per 40. annos tantùm: ſed incepiſſe ineunte anno 503. & obijſſe exeunte anno 543. & ſic per 40. tantùm ſediſſe.

Adde quòd naſcente anno 544. eadem cathedra Arelatenſis repleta erat ab AUXANIO, ad quem hoc anno Virgilius Pontifex congratulatoriam de illius promotione dirigit epiſtolam, apud Baron. Vnde colligitur Cæſarium obijſſe anno 543. & cœpiſſe ſuum Pontificium anno 503.

Secundum, nullam de iſto Didimo Regienſi in veterum monimentis fieri mentionem, bene quidem Fauſti, & Contumelioſi in Concilijs Galliæ, huic tempori viciniotibus: vnde intendit concludere aduerſarius, teſtimonium iſtud nullum fuiſſe. Verùm licet alibi non reperiatur hic Didimus, tamen quia in hiſtor. chronol. Prælatorum Eccleſiæ Regienſis, quam nuper edidit accuratiſsimus *Scriptor* Simon Bertel, eſt ita magnum interſtitium inter Fauſtum I. & Fauſtum II. vt vix ab vno, & ſolò Contumelioſo, poſsit repleri, facilè mihi perſuadeo, quemdam alium deſiderari Epiſcopum. Obitus enim S. Fauſti, ſeu I. deſignatur anno 495. & Fauſti II. non priùs habetur mentio quàm in Concilio Aurelian. 5. anno 552. vel *549.* vt vult Sirmundus, quæ temporis lacuna annorum 57. aut 54. vix credo à ſolo poſſe repleri Contumelioſo, de quo, cùm fuerit varijs criminibus accuſatus coram Ioanne II. & ab eodem depoſitus Pontifice (cuius extant pro hac re ad Cæſarium Arelat.

& ad Clerum Regienſem epiſtolæ apud Baron. & Sirm.) facile ſuſpicor, eum fuiſſe tunc temporis, circa annum 532. iuuenem, & moribus immaturis; proindeque Regienſem ſedem à quodam alio, nempe ab iſto Didimo, ab obitu Fauſti I. anno 495. vſque ad tempus Contumelioſi, occupatam: quam ratiocinationem, cùm menſe prætetito ad propria redeundo, eidem Simoni Bertellio in Eccleſia oppidi Meſelli, cui præeſt, viua voce proderem, eum non improbaſſe mihi ſignificauit; facileque mecum calculum adijcere ſuum, pro Didimo iſto inter Fauſtum I. & Contumelioſum intercalando.

Tertium opponit, quòd *Cyprianus Tolonenſis, & alij, qui res à Cæſario præclare geſtas prodiderunt, cùm de tàm celebri Epiſcoporum conuocatione, quæ non potuit non eſſe ſibi & eidem cæſario honorifica, nihil referant, manifeſtum eſt hanc conuocationem nulla veritate niti.* Sed quàm futilis ſit iſta ratio, ſola relatione conſtat: non enim omnia, etiam notabiliora, quæ ipſe Cæſarius per 40. annos fecit, fuiſſe ſcriptis ad poſteros tradita, nemo ſanæ mentis audebit aſſerere. Et certè de magnis iſtis Heroibus, aut in ſublimioribus dignitatibus conſtitutis, qualis erat Cæſarius (vtique in reſcriptis Pontificum, in colloquijs Regum, in comitijs Conciliorum, in inſtituendis & inſtruendis Monaſterijs ſem-

Digitized by Google

per occupatus) plus reſtant dicenda quàm ſint dicta.

Quartum validius quod opponit, petitur ex perſona ipſius Theodorici, qui, quia cùm excesſerit anno 534. (vt colligitur ex Gregor. Turon.)bellum Gothorum videre non potuit, cùm illud cœperit anno 536. quod probat ex Sirmundi in Sidonium notis. Verùm quia totum iſtud argumentum innititur vni authoritati neganti, bellum Gothorum fuiſſe in Prouincia ante annum 536. contrarium verò mihi eſt probandum, fuiſſe illud in Prouincia circa [redacted] iſtud tempus anni 503. vt doctiſſimè obſeruat(ex Greg. Turon. & Caſſiod.) hiſtoria Maſſil. lib. 2. cap. 3.. vbi habetur, quòd fuſis Gothis, occiſoque eorum Rege Alarico, manu ipſius Clodouæi Francorum Regis, quidam Geſilinus filius ex pellice ipſius Alarici Regis occiſi, vnà cum reliquijs Gothorum qui ſuperfuerant ex hac ſtrage,tranſvolauit citiſſimè ad partes Prouinciæ Narbonenſis, quæ tota, immò & Maſſilia, parebat ditioni Gothorum: quos leuiter inſequens Clodouæus, collectis vtrinque copijs, ita iterum dimicatum eſt, vt fuſi fugatique penitùs fuere omnes Gothi à Francis, quibus poſtmodum tota Oxitania & Prouincia ſubijcitur. Illud autem contigiſſe ante annum 508. narrat Hiſtoricus Maſſilienſis, & alij nonnulli, apud Philipp.

Libr. 3. hiſt. cap. 23.

Libr. 7. cap. 37.

Libr. 4. epiſt.

In conc. chronol.

:abbo ; ante annum 507. quidni potuit ſſe anno 503. aut circiter? (nihilomi-ius , quia in iſtis apicibus numericis faci-è occurrit error , ſi loco 3. reponatur 8. & licatur iſta fundatio facta anno 508. quo etiam tempore viuebat Symmachus, ſic iſtæ omnes ſopientur lites, & ita factum eſſe exi-ſtimo hoc anno 508. vt colligitur ex vita San-cti Cæſarij à Cypriano Tolonenſi, quæ extat in Chronol. Lerinen. & ex his quæ habent de Sancto Cæſario Arelat. Carolus Sigonius, & Baron.) Sed cùm Theodoricus, de quo fit hic mentio, ſine dubio patrem ſuum Clodouæum prælliantem, & triumphantem ſequeretur, aut forſan ipſe ſolus, de iſta vltima clade pugna-tor fuerit & victor, quidni potuit in gratiarum actionem hanc fundare Eccleſiam, quæ poſt-modum vocata eſt Præpoſitura? quidni pater eius in mercedem laboris, potuerit illi con-cedere Dynaſtiam vniuerſæ Prouinciæ Nar-bonenſis (ſicut dedit illi poſtea Regnum Me-tenſe) & ob id vocatus fuerit Comes Narbo-nenſis & Prouinciæ?

Pa. 22[illegible]
Libr. [illegible] Occid. Imp.
Tom. [illegible] an. 50[illegible]

Sed inſtát aduerſarius, & eſt quintum op-poſitum, *nullus ante Carolum Magnum, vel Pipi-num Prouinciæ, vel Narbonæ Comes, vel Vice-Co-mes fuit, immò qui ad annum 870. vixit Boſo, vl-timus Arelatenſium Rex, & primus Prouinciæ Co-mes narratur, ab ijs qui de rebus hiſtoricis Prouin-*

Digitized by Google

cia & Narbonæ tractarunt: ſanè licet poſſem in contrarium dicere hoc nomen comitis in Prouincia, longe antiquius eſſe, quàm dicat aduerſarius: immò circa hoc tempus anni 503. iam vſurpari, vt conſtat ex vita Sancti Canati Epiſcopi Maſſilienſis circa an. 500. vbi dicitur eum fuiſſe filium cuiuſdam Ducis, aut Gubernatoris Prouinciæ, nomine comitis

Libr. 9. cap. 1. Aquenſis inſigniti in hiſt. Maſſil. tamen vltrò concedo iſtud nomen comitis non fuiſſe impoſitum Dynaſtis Prouinciæ ante tempus Boſonis: non propterea ſequitur, ea quæ continentur in hoc inſtrumento eſſe falſa. Quia cùm hæ tabulæ, è quibus hæc eruuntur, nec ſint Prototypæ ſiue primo ſumptæ, nec Apographæ ſiue tranſumptæ ex Archetypo (eò quòd non contineant omnimodas integræ fundationis formulas) facilè ſequitur, eas tantum eſſe narratorias eorum, quæ alibi latiore ſtylo extenſa erant: indeque etiam ſequitur, eas longiſſimo tempore poſt fundationem fuiſſe deſcriptas, & ſæpius iterum reſcriptas, retinendo ſubſtantiam, & mutando accidentia. Et quia in his temporibus, in quibus reſcriptæ erant hæ tabulæ, iam viguerat nomen Comitis, Toparchis Prouinciæ impoſitum: Inde amanuenſis cœpit occaſionē adſcribendi Theodorico comitis nomen, quod iam in Prouincia erat vulgare; cuius mei ſenſi lucu-

ſentum habeo exemplum, in *Breuiario Aquenſi*, lect. 6. S. Maximini: certum quidem eſt tempore aduentus *B.* Maximini & aliorum in Prouinciam, eam vocari ſimpliciter Prouinciam Narbonenſem, & aliquando Phocenſem, nec illi vnquam à Scriptoribus illius ætatis, nomen comitatus illi fuiſſe impoſitum: & tamen in prædicta lect. 6. habetur, *Domino annuente Aquenſem aggreſſi ſunt Comitatum.* Nunquid ex nupero comitatus nomine, Maximinum, & alios, è Prouincia eliminabimus?

Ex hac vltima reſponſione aditum præcludo, duobus alijs minutulis obiectis, quæ aduerſus iſtud teſtimonium, pag. 30. opponit aduerſarius. Primum, quòd *huius aut illius in Eccleſia dignitatis fundatio ſic expreſſa, recentem ſapit ætatem.* Secundum, *iſtud nomen Diui, nec eſſe Eccleſiaſticum, nec in antiquis SS. Patrum ſcriptis, aut Concilijs inueniri.* Ad quæ duo iam reſpondi, dicendo has tabulas, nec eſſe prototypas, nec apographas, tempore Theodorici, ſed recentiori manu ſcriptas, & narratorias eorum quæ alibi latius continebantur, vſumque fuiſſe Scriptorem (mutatis accidentibus, & retenta ſubſtantia) verbis vulgaribus illius ætatis, in qua hæc excerpebantur.

Denique opponit aduerſarius: *Hinc iteratum Theodorici nomen omni ſenſu caret, ſicut &*

iſtud ann. 517. *&* 503. Verùm ex tumultuario iſto progreſſu, magis colligitur, & probatur, quod paulò ante dicebam, has tabulas eſſe tranſumptas, & indicatorias aliorum archetyporum, vbi iſta omnia fuſiùs exprimebantur.

Sed inſtat iterum, *cur* 517. *&* 503. ſenſum explanabo meum. Probabile iudico quòd fuſis Gothis in Prouincia, Theodoricus parta victoria, & fundatione huius Præpoſituræ, iam hoc anno 503. (vel potiùs 508. vt ſupra) aut facta, aut decreta, poſitis vbique præſidijs, redit ad propria: vbi poſtmodùm, auditis rebellionibus ortis ex reliquijs Gothorum, pro Amalarico adhuc tenello eorum Rege pugnantium, iterum ann. 517. reuiſit Prouinciam: vbi conuocatis prædictis Epiſcopis Arelat. Reg. Tol. Maſſil. Aquen. tum forſan, vt vota facta ann. 503. ſolueret: tum forſan, vt fieret conſecratio prædictæ Eccleſiæ Pignanenſis: tum forſan, & melius, vt ſuum aduentum in Prouinciam, & illuſtriorem, & Gothis Arrianis meticuloſiorem, redderet. Huius opinionis meæ ſponſorem habeo hiſtoricum Maſſilienſem, qui loc. cit. ait, quòd poſt ſtragem Gothorum in Prouincia factam, quidam Theodoricus, Oſtrogothorum & Italiæ Rex (ſocer Alarici Gothorum Regis nuper à Clodouæo occiſi, & auus paruuli ſupra memorati Amalarici verè Prouinciæ Domini, & Gothorum

Regis

Regis, vtpote filij ipſius Alarici occiſi) timens ne Franci victoria elati, illum de Regno Italiæ ſpoliarent, aut ſaltem cupiens Francos eiicere è ditione Regni nepotis ſui Amalarici, conuocat omnes ſibi fœdere ſociatos, & ingentibus copijs aucto exercitu, vtramque Prouinciam hoſtiliter ingreditur Narbonenſem, è qua omnes fugat Francos, qui denuò, aut animo vindicandi ſe de illata iniuria, aut ſpe fruendi victoria iam parta, parato exercitu redeunt (licet in caſſum) in Prouinciam. Dico ergo, quòd in hoc ſecundo Francorum reditu in Prouinciam facto, circa ann. 517. potuerit redire ipſe Theodoricus Clodouæi filius, & conuocare omnes iſtos Epiſcopos, ob rationes paulò ſupra aſſignatas.

Cæterum quidni Theodoricus iſte filius Clodouæi, potuerit hanc fundare Præpoſituram, cùm Childebertus Francorum Rex, alter Clodouæi filius, & ipſius Theodorici frater, eodem fermè tempore, nempe circa ann. 530. tempore Cæſarij, Arelatis fundauerit Monaſterium quorumdam Monachorum, vt habetur in Chronol. Lerin. quod eſt cœnobium Montis-maioris ex Pontificio Arelaten. & aliud S. Germani Pariſijs an. 552. vt habet Chronologia Labbe? Pa.2 Pa.1

Alterum huius ſæculi teſtimonium, eſt Votum Clodouæi Francorum Regis ad ſepul-

chrum B Marthæ in Gallia circa annum 490. de infirmitate ſanati, cuius meminerunt Baronius, & *Molanus*, in notationibus ſuper Martyrologium, ad 4. Kal. Aug. & ante eos

r. 9. Vincent. Bellouac. licet ex Marcellæ pediſ-
107. ſequæ actis (quæ fabuloſa commemorat aduerſarius pag. 23.) ſit deductum. Nec enim omnia quæ in apocryphis, aut etiam fabuloſis quibuſdam ſcriptis continentur, commentitia ſunt; ſed quædam poſſunt eſſe veriſſima, licet falſis permixta: alioquin deſtruerentur multa principia Fidei, quæ in pluribus apocry-

Theſſ. phis, immo & fabuloſis libris, paſſim circum-
2. feruntur. In omnib. ſeruanda Apoſtoli regula. Sed quale videtur inconueniens aſſerere, ſanatum fuiſſe Clodouęum ad ſepulchrũ Marthæ Taraſconenſis, cùm aliunde ex pluribus alijs teſtimonijs habuerimus Martham ibi iacere?

SÆCVLO IV.

LVculentiſſimus huius ſęculi teſtis erit Flauius Lucius Dexter *Barcinonẽſis* S. Hieronymi circa ann. 390. familiaris, ad quem ſuum Chronicum dicat Dexter, ſicut eidem Dextro ſuum catalogum de Scriptoribus Eccleſiaſticis inſcribit S. Hieronymus. Sic autem habet Dexter.

Anno à Natiuitate Domini 48 *Hieroſolymita-*

*ti Iudæi vehementer infenſi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ,*Marcellæ,*Ioſepho ab Arimathia nobili Decurioni, & alijs plurimis, naui ſine remigio, veliſque, ac ſine gubernatore eos exponunt, & exulare mandant, qui per vaſtum mare diuinitùs delati, ad Maſilienſem portum incolumes appellant.* Poſtmodum de Magdalenæ obitu agens, ſic ſubiungit. *Anno Chriſti* 88. *Maria* Magdalena *miraculis clara, mirificè diuinis laudibus contemplationique dedita in Gallijs migrat.*

Scio quidem aduerſarium pag. 4. hoc validiſſimum teſtimonium velle illudere, dicendo hoc Chronicum non eſſe à Dextro compoſitum, ſed à recentioribus Hiſpanis confectum. Sed perperam eſt illud aſſerere, cùm & illius cōmentator Franciſcus Biuarius, Monachus Ciſtercienſis, Theologiæ Magiſter, & Congregationis Ciſtercienſis in Romana Curia procurator generalis, Apologia hac de re, pluribus argumentis, & Auctorum teſtimonijs, probet hoc Chronicum verum, legitimum & non ſuppoſititium L. Dextri eſſe fœtum.

SÆCVLO III.

Iſti ſæculo III. aut ſaltem non longe ab illo referenda eſt ſchedula illa in ſepulchro Magdalenæ reperta anno *1279.* tempore Caroli II. quæ ſic habet, *Hic requieſcit corpus* Ma-

riæ Magdalenæ, quam ſupra ſæc. VIII. plurimis argumentis probauimus, longè antiquiorem eſſe ipſa occultatione Reliquiarum anno 896. Et licet MS. Sammaximinenſe, cuius titulus eſt, *Mirabilis & glorioſus Deus*, &c. referat illam ad ſæculum I. ſcriptam videlicet manu ipſius S. Maximini: tamen ad iſtud ſæculum III. reponendum cenſeo.

Verùm quidem eſt, quod hæc ſchedula caret die, & Conſule, nihilominus manifeſtiſſima coniectura in iſto ſæculo eſſe ſcriptam, conſtat ex his quæ habet Bernardus Guido Epiſcop. Lodouenſis anno 1320. in ſuo ſpeculo Hiſtoriali, loquens de inuentione Reliquiarum B. Magdalenæ à Carolo II. his verbis. *Tunc & reperta fuit per eumdem Carolum, cum Prælatis in tumulo memorato, ſcriptura alia vetuſtiſſima, in quodam cartello cera vndique exteriùs cooperto, quæ vix præ vetuſtate legi potuit, quæ talis eſt. Hic requieſcit*, &c. At modum iſtum ſcribendi in iſta Prouincia, in cartis cera illitis ad ſæculum III. referendum eſſe probatur, ex his quæ habet S. Hilarius Arelatenſis, in oratione funebri S. Honorati Lerinenſis, vbi circa medium loquens de ſumma Honorati comitate, & dulcedine, ait Eucherium aliquando reſpondiſſe, Honoratum ita eſſe dulcem, vt etiam ſcribendo mel ſuum redderet tabulis cera illitis. His verbis: *vnde pulcherrimè* (in-

quit Hilarius) *ſplendidus mundo , ſplendidior Chriſto , æmulus virtutis eius Beatus Eucherius, cùm ab Eremo in tabulis , vt aſſolet (* notetur illud verbum) *cera illitis , in proxima ab ipſo degens inſula* (ſiue ſit Lero *Plinij* & Antonini , ſiue ſit Planaſia Strabonis , nunc Sancta Margareta *:* hinc colligitur iſtum Eucherium licet mundo ſplendidum , non eſſe Senatorium illum virum , qui poſtea Lugdunenſis fuit Epiſcopus, quem ſuper flumen Druentiæ in ſpelunca, iuxta oppidum *San*cti Pauli, diu manſiſſe tradunt Scriptores multi , niſi dicatur illum priùs Lerone vixiſſe, poſtea iuxta Druentiam habitaſſe in ſpelunca illa quam poſtmodum eius vxor Sancta Galla, & duæ illius filiæ Sancta Conſortia aut Conſoſſia, & Tullia, Virgines , poſt illius diſceſſum pie Deo ſeruientes per totum vitæ tempus incoluere) *Litteras eius ſuſcepiſſet, mel inquit ſuum ceris reddidiſti.* Hæc Hilarius. Ex quo loco manifeſte apparet, modum iſtum in tabulis cereis ſcribendi , vſitatum fuiſſe in Prouincia , hoc ſæculo : viuebat enim Honoratus in Lerina , circa annum 380. Et cum iſta ſchedula ſit hoc modo exarata , circa ſæculum III. eſt reponenda. Probabiliſſimum ſane exiſtimo , quod cum circa iſtud tempus Chriſtiani erexerint diuerſa illa ſepulchra tum alabaſtrina, tum marmorea, varijs ſculpturis cælata , quæ adhuc extant , ad reponenda cor-

pora SS. Maximini, Sidonij, Magdalenæ, Marcellæ, Suſannæ, & aliorum, ad diſtinctionem corporis B. Magdalenæ ab alijs, iſtud programma ſcripſerint, & in eius tumulo poſuerint, quod poſtmodum fuerit diligentiſſimè obſeruatum.

SÆCVLO II. & I.

SÆculi I. aut II. teſtimonia hanc veritatem atteſtantia, velle quærere, rem impoſſibilem tentare eſt. Nec enim erant hoc tempore in Prouincia, qui martyrum, aut aliorum Sanctorum vitam ſcriptis mandarent. Intenti potius erant primi Chriſtiani ad augendam & dilatandam fidem, quàm ad conſeruandam veritatis hiſtoricæ memoriam: & ſi qui forſan fuerint, eorum acta, ferali illo (cuius meminit Baronius) Diocletiani edicto, quo Chriſtianæ Religionis codices omnes cremarentur, incendio damnata ſunt. Et ſane ſi multa, eiuſdem generis, antiquitatis monumẽta, duobus primis ſæculis recentiora, periere, quidni & anteriora, aut illis ſynchronica? Enimuerò ex teſtimonio Deſiderij Epiſc. Tolon. ſupra ſæculo 5. conſtat Meſſianum Monachum Lerinenſem & B. Stephanum, ſcripſiſſe vitas plurium Sanctorum Monachorum, immo & hunc Meſſianum, aut Martianum, edidiſſe

raca tulat. p. 3.

Martyrologium, & tamen nec ipſius Marty-rologij, nec alterius cuiuſdam Sancti vitæ, à prædictis Meſſiano & Stephano ſcriptæ, apud nos extat memoria, præter illam S. Cæſarij Arelaten. ab ipſis Meſſiano & Stephano editam. Immò & ipſius Cæſarij perijt admirandus ille liber, de gratia & libero arbitrio, à Fœlice Papa tantopere laudatus, & eius iuſſu euulgatus, vt obſeruat Baron. ann. 490. quinetiam pluſquam per mille annos latuere, quaſi deperdita, duo poſteriora excellentiſſima antiquitatis monumenta, videlicet S. Eucherij de laudibus Eremi opuſculum, & vita Sancti Honorati Arelaten. à S. Hilario eius ſucceſſore edita, quorum antea meminerat Iſidorus Hiſpalenſis: quæ tamen duo, ſæculo tantum ſuperiori, publico iuri fuere tradita. Primum quidem ſumptibus & ſolertia Franciſci de Bolerijs, Epiſcopi Foroiulienſis, & Abbatis Lerinenſis, vt notat Chronologia Lerinen. Alterum opera & induſtria Doctiſſimi Genebrardi, vt indicat Baronius in Martyrologio ad diem 16. Ianuar. his verbis, *ſcribit S. Iſidorus de viris illuſtr. cap. 16. S. Hilarium Epiſcopum Arelatenſem Honorati ſucceſſorem, ſcripſiſſe eius vitam, quam quidem deperijſſe dolebamus, ſed eam latentem diu carie ſituque obductam, in lucem nuper edidit Genebrardus.* Quæ vita non eſt alia, quàm ſermo ille luculentus S. Hilarij appoſitus initio Pa. 38

Chronologiæ Lerinenſis, vt aliàs conſuli Romæ in *Bibliotheca Barberina*.

Ex quibus ſic arguo, ſi nonnulla, etiam admiranda ſæculi IV. aut V. (in quibus *Fides* perfectè ſtabilita, & infiniti erant homines litterati Chriſtiani) tandiu latuere antiquitatis monumenta: immò & nonnulla periere, quid iuris erit de his quæ ad I. aut II. ſpectant ſæculum (in quibus clanculum in Prouincia radices agebat Religio) quæ forſan leuioris erant momenti, vel quæ ſaltem iuſto opuſculo, eorum conſeruationi apto, non poterant comprehendi? Manifeſtè ergo concluditur, vix poſſe primis duobus ſæculis teſtimonia reperiri, quoquo modo *B.* Magdalenæ, & aliorum, in Prouinciam appulſum probantia.

§. 5. *Probatur hic aduentus argumentis ex ratione deductis.*

INter rationes, hunc Magdalenæ, & aliorum, in Prouinciam aduentum, probantes, referant alij Fidem, pietatem, & populorum, cateruatim ad viſitanda loca iſta ſacra confluentium, concurſum: Principum, ac Regum, ad iſta loca peregrinationes, munificentias & liberalitates ſummorum Pontificum Bonifacij VIII. *Bened.* IX. Ioann. XXII.

Gregor. XI. Mart. V. Eugen. IV. Nicolai V. Sixti IV. Innoc. VIII. Iulij II. Leon. X. & aliorum fere omnium poſteriorum Pontificum Diplomata, hanc veritatem confirmantia: Miracula diuerſa, hanc veritatem atteſtantia, quæ omnia, licet apud nonnullos Scriptores ſint alicuius ponderis, apud me tamen non ita ponderant, vt collata cum multis alijs, quæ Vezeliacenſes pro ſua Magdalena afferunt eiuſdem generis, non citò euaneſcant. Mihi verò ſufficit vnica iſta ratiocinatio, meo quidem iudicio efficaciſſima, pluribus alijs ratiunculis, tanquam adminiculis ſuffulta.

Sanè ſi hæc hiſtoria eſſet commentum, aut fabula, vt vult aduerſarius, quo tempore, à quo, & vbi inuenta? quibus technis propoſita? quibus tandem ductu, via, & modo, ab omnibus ita communiter recepta? (quod quidem ſperabam dicturum & probaturum in ſuis libellis aduerſarium) Certè ſi vnius tantùm circumferretur hiſtoria Sancti, vel duorum, aut multorum aliorum, in eadem tamen ciuitate commorantium, non ita difficile fuiſſet hoc commentum pro veritate admitti: potuiſſet enim aliquis Mythovretis, ſeu fabularum inuentor, ciuibus vnius vrbis perſuadere omnes iſtos Sanctos tali tempore veniſſe, hic & illic habitaſſe, hoc & illud feciſſe: vel

potuiſſent omnes iſti ciues eiuſdem vrbis, ſi-mul conueniſſe ad confingendam iſtam fabulam. Sed hæc hiſtoria multos complectitur Sanctos, etiam in locis diſſitis commorantes. Quomodo ergo potuerit vnus fabulator, omnibus iſtis ciuibus inter ſe remotis, hoc commentum perſuadere? vel quomodo potuerint omnes iſti ciues inter ſe multùm diſtantes, conuenire ad componendam iſtam fabulam? ſi enim, verbi gratia, Arelatenſes dixiſſent, tali tempore ſurrexit in noſtris oris, nauis quædam deferens Lazarum, Martham, Magdalenam, Marias Iacobi & Salomes, Maximinum, & Cidonium; & poſtquam aliquantiſper omnes iſti Sancti ibi fuerint commorati, relictis ibidem Maria Iacobi & Salomes, Lazarus petijt Maſſiliam, & ibi munus Epiſcopale exercuit: Martha petijt Auenionem, poſtmodum Taraſconem, & ibi talia & talia fecit miracula: Magdalena adijt Maſſiliam, & hic, & illic commorata eſt; poſtmodum petijt Eremum, & ibi in quodam ſpecu per 33 annos egit pœnitentiam. Maximinus Aquenſem aggreſſus eſt Comitatum, ibique Epiſcopali functus eſt officio, Cidonium ſibi ſucceſſorem eligendo: ſi inquam Arelatenſes hæc & illa dixiſſent; certè Maſſilienſes reſpondere potuiſſent, itemque Aquenſes, Auenionenſes, Taraſconenſes,

5\. *Quis audiuit vnquam tale? hoc auribus noſtris non*

audiuimus, *nec hoc patres noſtri annunciauerunt nobis*, hæc eſſe gerras, nugas aniles, & fabulas Pſal 1
dicere potuiſſent. Sed contra, idipſum fatentur omnes, oſtenditque ciuitas quælibet, cuiuſque Sancti monumenta quædam hanc veritatem confirmantia. In Arelatenſi territorio videtur Eccleſia B. Mariæ de mari, quæ eſt, *prima omnium Eccleſiarum citramarinarum*, *ac à Diſcipulis à Iudæa pulſis conſecrata*, vt habet eius hiſtoria: in Maſſilienſi notantur tria, aut quatuor loca, quæ Magdalena aut prædicans, aut pœnitens, incoluit: in Auenionenſi, & Taraſconenſi, deſignantur ibidem quædam habitationis in his locis Marthæ monumenta. Denique in Aquenſi Eccleſia, extat adhuc ſacratiſſima illa ædicula in honorem Transfigurationis Chriſti Saluatoris à B. Maximino conſecrata.

His accedit qualitas regionis in qua hæc narratur & creditur hiſtoria. Si enim Prouincia valde ſeriùs lumine fidei illuſtrata fuiſſet; aut poſt acceptam aliquando fidem, valde diuturno tempore dormijſſent Prouinciales ſomno fidei, & veniſſet inimicus homo, & ſuperſeminaſſet zizania infidelitatis. Certè in prima illorum illuminatione, aut è ſomno excitatione, non ita ægrè fuiſſet difficile hanc fabulam comminiſci, & iſtud mangonium palam diuendere. Sed Prouincia fuit, à primis

etiam ſæculis, à Fide Chriſtiana exculta, vt conſtat ex actis Sanctorum Marcellini Ebredunenſis, Domnini & Vincentij Dignienſium, Victoris Maſſilienſis, Pontij Cemelienſis, Baſſi Nicienſis, & alijs, de quibus infra §. 13. Inſuper à veritate, & à ſuſcepta ſemel Fide, nunquam aberrauit, vt patet ex continuato Paſtorum omnium fere illius Eccleſiarum, calculo: præterea ſemper, & alternis ſæculis, habuit ſummos, & Doctiſſimos viros, Gennadium, Cæſarium, Hilarium, Saluianum, Caſſianum, Valerianum, Vincentium, Fauſtum, Maximum, & alios. Itemque Concilia quamplurima, Arelatenſia quinque, Arauſicana duo, Carpentoractenſe, Vaſionenſe, Regienſe, vt taceam alia minus celebriora. Quomodo ergo inter tot & tantos oculatos veritatis amantes, potuerit hæc ſeſe inſinuare fabula? quomodo inter tot vigiles, & excubantes, potuerit iſtud ſeſe irrepere ſomnium, & phantaſma? Apage iſtas præſtigias, & quiſquilias. Nunquid ſi, verbi cauſa, Aquenſis aliquis Antiſtes, aut Eccleſia, itemque Maſſilienſis, Arelatenſis, & Auenionenſis, hanc fabulam commenti fuiſſent, reliqui Antiſtites & Eccleſiæ Prouinciæ, in facies eis reſtitiſſent? nunquid eos reprehenſibiles dixiſſent, & feciſſent, quòd gentes, reliquias ſubdititias, venerari coëgiſſent?

Hinc vlterius vrgeo. Quæ ſunt ergo iſtæ, quas ſub nomine Magdalenæ, Marthæ, Lazari, Maximini, Mariarum Iacobi & Salomes, Prouincia colit, Reliquiæ? an ſint res ſacræ, an profanæ? profanas eſſe, nec impietas ipſa diceret: ſi ſacræ, vnde, & qua via, venerint in Prouinciam? & cuiuſnam alterius ſint Sancti? (quod item ſperabam in ſuis libellis aduerſarium doctorum) conſultius ſane fecero, & dixero ij, qui negant S. Antonium Arelatenſem eductum eſſe ex Monaſterio S. Antonij Viennenſis, dicentes vere eſſe corpus alterius cuiuſdam Sancti, forſan cognominis, vt habetur in 4. parte hiſt. Antonianæ. Noſque item conſultius infra, cùm de Magdalena Vezeliacenſi quam dicemus eſſe corpus B. Cidonij Aquenſium Epiſcopi, aut B. Suſannæ. Et cùm non poſſit certò ſtatuere aduerſarius, cujuſnam alterius Sancti ſint iſtæ Reliquiæ, ſequitur eas vere eſſe B. Magdalenæ, & aliorum Prouinciæ Sanctorum.

Deinde conſimili ratione ex admiranda illa, Chriſti ſanguinem continente, ampulla, iuxta corpus B. Magdalenæ reperta, ſic argumentor. Quid ſentis (aduerſarium abſentem compello) de venerando illo puluere, Chriſti ſanguine cruentato, in pixide vitrea incluſo, in quo, quibuſdam certis diebus, veluti Paraſceues, Circũciſionis, & diebus feſtiuis ſanctæ

Crucis (quando feria 6. accidunt, vt referunt nonnulli) circa Meridiem, videtur ſenſibiliter rubicunda quædam nubecula, & puluis ipſe eruentatus aliquantulum ebullit? Non quæro hic, an ſit vera ſubſtantia ſanguinis, an tantùm accidens. De quibus Theologi cum Diuo
part. Thoma; ſufficit, quod ab omnibus concedi-
54. tur, hunc ſanguinem verè adorari. Quid ſentis inquam de iſta phiala vitrea, & de his quæ in ea fiunt? an ſint præſtigiæ, & oculorum illuſiones, an vera miracula? Primum non dices, nec impietas ipſa, in ipſo cordis abdito, cogitare auderet, contra innumeros cuiuſcumque ætatis, ſexus & conditionis teſtes omni exceptione maiores: cùm aliunde infinitos populos, viri ita Religioſi, idololatriæ exponerent. Si ſecundum, & ſit verus ſanguis Chriſti, vnde venerit hæc ampulla? Quo tempore? cuius beneficio Prouinciæ fuerit conceſſa, ſi aliunde quàm ex dono Magdalenæ, acceperit? Rem ſanè valdè gratiſſimam nobis feciſſet aduerſarius, & illi ſummas egiſſemus gratias, ſi illud nobis indicaſſet: & ideò quia non cõſtat hoc pretioſiſsimum munus, nobis aliunde eſſe collatum, ſequitur à B. Magdalena, Chriſti ſanguinem iuxta Crucem ſparſum, colligente, illud ad nos fuiſſe allatum. *Et hæc erat ratiocinatio pÿſsimi iuxta & doctiſsimi Viri D. Henrici Ludouici Haber D. de Montmaur & de*

Marigny Pariſienſis , nuper Aquis degentis.

Denique decentius eſſe videtur , eandem regionem eos ſimul recipere morientes , quos eadem patria vidit ſimul naſcentes , eoſque loco non diuidi , quos mutuus amor fecit eſſe coniunctos. Nunquid probabilius eſt , & ad veritatem magis accedit , Magdalenam , & alios, in Prouincia vixiſſe & obiiſſe ? quàm dicere Lazarum Citij mortuum eſſe, Magdalenam Epheſi , Martham & Mariam Salomes Hieroſolymis , Verulanis Mariam Iacobi , ſepultas eſſe ? Quorſum inter cognatos,fratrem, & ſorores , immò & inter mulierculas , hæc tanta in vita & morte loci diſtantia ?

§. 6. *Reſpondetur argumentis contrarijs negatiuis.*

TAndem portum ſubit in Prouincia ſacra noſtra nauis , ſuiſque quiquo ſedibus ſacri noſtri viatores ſunt collocati : erectam vidimus arcam, aut potiùs Magdalenæ & aliorum Lipſano-thecam. Nunc Dagon eijciendus eſt ; *quæ autem conuentio Christi ad Belial ? aut quæ pars fideli cum* 2.
infideli ? Stabilito multis argumentis Magda- 6.
lenæ in Prouinciam appulſu , nunc rationibus

aduerſarij contrarijs, & primò quidem negatiuis, ſatisfaciendum eſt.

Sic autem primò aduerſarius arguit, pag. 67. *Si Lazarus qui & amicus Chriſti dictus eſt, quique eum tàm frequenti hoſpitio excepit, primus fuit Maſſilienſium Epiſcopus: ſi Magdalena & Martha tot virtutes & miracula patrauerunt*, &c. *quî fieri potuit vt primos gentis ſuæ Apoſtolos, & tales Apoſtolos ignoraſſent, aut nullo vnquam præconio extuliſſent Caſſianus, Saluianus, Victor Maſſilienſis, Eucherius Lugdunenſis, & Cæſarius Arelatenſis: alijque tractatores non pauci Eccleſiarum magiſtri*, &c. O egregium argumentum! ô peremptoriam ratiocinationem! cui, etiam minimo Philoſophiæ tyrunculo, notum non ſit, argumentum ex authoritate negatiua deſumptum, nihil valere ad concludendum? An quia ſolus Mathæus meminit ſtellæ quæ antecedebat Magos, & reliqui ſiluerint: ergo Magi ab Oriente non venerunt Ieroſolymam adorare Chriſtum? an quia Mathæus, Marcus, & Lucas, nihil dixerunt de ſuſcitatione Lazari, ergo Lazarus non ſurrexit? an quia ex Sacris Litteris non apertè conſtat, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, nec quales ſint eorum formæ, ergo non ſunt à Chriſto Domino inſtituta? an quia S. Antoninus multarum rerum tùm indigenarum, tùm exoticarum Scriptor, nihil dixerit de mirabilibus ſanctæ domus

Lauretanæ

Lauretanæ ædium tranſlationibus, quæ paulò ante illius ætatem, & in illius patria contigerunt, ergo Beatiſſimæ Virginis domus Nazarethi non eſt in agro Piceno? Apage iſtum argumentandi modum. Placet mihi illud Iuriſperitorum axioma: plus valet vnus teſtis affirmans, quàm mille negantes, dummodo iſti non negent quod alius affirmat. Adde quòd multa alia prædictorum Scriptorum periere opera (vt conſtat ex his quæ de illis habent Gennadius, Honorius Auguſtodunenſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Ioannes Trithemius, & alij, qui ſcripſerunt de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus) ex quibus, ſi extarent, ſine dubio educeretur illa quam credimus hiſtoria: ea verò quæ ſuperſunt alterius ſunt argumenti, nec in ijs ſe offert occaſio de illa loquendi, vt legentibus patet. Periiſſe autem multos de Martyrum, & aliorum Sanctorum hiſtorijs codices, ſupra ſæculo II. & I. indicatum & probatum eſt.

Hanc duplicem reſponſionem prævidens aduerſarius, inſtat ſecundò, eadem pag. 67. afferens exempla eorum, qui ex profeſſo tractant de hiſtorijs Sanctorum. *Veteres* (inquit) *Auctores, vt Gueſnæus fatetur, valde boni, Beda, Vſuardus, Freculphus, & Ado Viennenſis, ſiluerunt de Magdalenæ appulſu* &c. *Sed & inter alios Ado, qui Prouinciæ finitimus cùm eſſet, aduerſus*

H

illa omnia ſilentio ſuo, &c. Verùm quid Scriptores illius ætatis, à tempore iſtius appulſus ita remotæ (viuebant enim ſæculo VIII. & IX.) & in regionibus à noſtra prouincia ita diſſitis (quales ſunt Britannia, Germania, & pars borealis Galliæ) degentes, ſcribere certò poterant de ijs, quæ quaſi ſola traditione credebantur in Prouincia? Sufficit ſi indicatis illorum diebus natalibus, non dicant alibi eos coli. Et ſanè de re incerta, aut ſaltem non euidenti, vt illis tunc eſſe poterat hæc controuerſia, ſapientis eſt nihil certò ſtabilire, & præſertim cùm ſe opponat opinio contraria. vt eſt illa Græcorum, quam ignorare non poterant, & quam Gregor. Turonenſis ipſorum antiquior, videtur inſinuare. Sed de his paulò poſt.

;ibr. 1. e Mir. ap. 30.

Quòd autem Martyrologiorum Scriptores omiſerint multa huic operi neceſſaria, ſiue ex inaduertentia, ſiue de induſtria, teſtatur Vſuardus, eiuſdem argumenti Scriptor, epiſt. ad Carolum Magnum Francorum Regem, his verbis: *Venerabilium Hieronymi & Bedæ Præsbyterorum, pijs quamuis ſuccinctis, ſuper hoc prouocabar ſcriptis: quorum prior breuitati ſtudens: alter verò quamplures Calendarij dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis prætermiſſe neceſſaria.* Sic ille.

Sed quid de Adone, inſtat aduerſarius,

Digitized by Google

Viennenſi Archiepiſcopo, vtpote recentiore (viuebat enim ſæculo IX·) Prouinciæ viciniore & finitimo? optimè ſanè. Sed quid ait illo in ſuo *Martyrologio* (quod collatum cum diuerſis exemplaribus anno *1613.* Antuerrpiæ publico vſui dedit Heribertus Roſuueydus Vltraiectenſis, Societatis Ieſu Theologus) de multis Sanctis quos Ebredunenſis colit Metropolis? Quid de glorioſiſſimo Martyre Sancto Pontio Cemelenenſi, in Prouincia? Quid de *S.* Baſſo Epiſcopo Nicienſi? Quid de *S.* Verano Epiſcopo Vencienſi? Quid de *S.* Hoſpitio recluſo Nicienſi, de quo tamen loquuntur Auctores illo antiquiores, Gregorius Turon. lib. *6.* hiſt. Franc. cap. *6.* & de gloria Confeſſ. cap. *97.* & Aimonius de geſtis *Franc.* lib. *3.* cap. *38.*? Quid inquam dicit Ado de iſtis *Sanctis*, & alijs eiuſdem Metropolis, pro quibus inquirendis noſtra aliàs deſudauit induſtria, forſan, ſi *Superis* placet, aliquando in lucem edenda: Ne verbum quidem, ſed rem magis incredibilem profero: domeſticorum & prædeceſſorum ſuorum in Viennenſi ſede fuit ipſe immemor. Etenim fuiſſe *Salonium* circa annum Domini 485. Viennenſem Epiſcopum, fatētur non ſolum neoterici Genebrardus, Baron. Trithem. Sixtus Senenſis, ſed & illius ſynchronici Saluianus, cui offert ſuos libros de recto iudicio, colligiturque idem ex Epiſt.

15. lib. 7. Sidonij. Et tamen iſtius Salonij non meminit Ado, in indice Epiſcoporum Viennenſium; ex cuius ſolo ſilentio anſam ſumpſit nuperus quidam Scriptor, quamuis reliqui affirment, dubitandi de iſto Salonij Pontificio Viennenſi, vt indicat Iacobus Senertius in Chronol. Antiſtitum Lugdunenſium.

Ad hæc tertiò inſtare videtur aduerſarius pag. 21. indicans Adonem non ſiluiſſe de Magdalena, & alijs, his verbis. *Porrò duobus in locis Ado de Magdalena ſic loquitur, & primò in Martyrologio. 22. Iul. Natalis S. Magdalenæ, de qua, vt Euangelium refert, ſeptem dæmonia eiecit Dominus, quæ etiam inter alia dona inſignia Chriſtum à mortuis reſurgentem videre meruit. Et de Martha & Lazaro hæc tradit: Ad 17 Decemb. item B. Lazari, quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis. Item B. Marthæ ſororis eius, quorum venerabilem memoriam extructa Eccleſia, non longe à Bethania, vbi e vicino domus eorum fuit, conſecrauit.* O egregiam inſtantiam, quia non dicit Ado in Prouincia illorum natalitia celebrari, ergo ibi nuſquam fuere? cùm recurrat idem argumentum, redit eadem reſponſio.

Sed quæres cur Ado Viennenſis, Ado Treuirenſis, Vualdebertus, Freculphus, Florus, Vſuardus, Beda, & alij Martyrologiorum Scriptores Latini, immò & ijs omnibus anti-

quior S. Hieronymus, aſſignando dies natales noſtrorum Cælitum, loca tamen ipſorum obitus, aut Reliquiarum, vbi colantur, non deſignarint? in hoc quid ſentio ſenſũ explanabo meum. Primus omnium ex *Molano*, qui Martyrum geſta in formam *Martyrologij* redegit, fuit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus cognominatus Pamphilus ſæculo 4. circa ann. 340. hic cum in Palæſtina ſcriberet, quomodo ſcire potuit ea quæ agebantur & credebantur in Prouincia? proindeque indicatis ſolummodo diebus natalibus Magdalenæ, & aliorum, nihil de locis, vbi obierint, ſignificauit. Illud Euſebij *Martyrologium* è Græco in Latinum primus tranſtulit S. Hieronymus, vt obſeruat Baronius, quam tranſlationem poſtmodum ſequuti ſunt vniuerſi *Scriptores* Latini, Beda, Vſuardus, & alij ſupra citati: & quia in prioribus editionibus nihil dicebatur de loco illorum obitus, aut vbi colebantur illorum Reliquiæ, nihil quoque neoterici *Scriptores* Latini addidere: ſed omnia traditionum iudicio reliquere. Prudentiſſimus enim Latinorum ſemper mos fuit (contrarius vaniloquentiæ, & iactantiæ Græcorum) nihil noui vnquam magni ponderis, aut inconſulto Romano Pontifice, aut ſine exhibitis inconcuſſæ fidei teſtibus in medium proferre. Exẽplis illud confirmo. Primum eſt admiranda illa epiſtola,

Libel. Marty. cap. 1

In pra Marty. cap.

quam tres Galliarum Epiſcopi, Saluianus, Veranus, atque Ceretius, ad Leonem Papam ann. 449. dirigunt, deprecantes eum, vt dignetur proſpicere, vtrum exemplar eiuſdem epiſtolæ encyclicæ, quam ipſe Leo ad Epiſcopos Occidentales tranſmiſerat, & quam ipſi Saluianus & Veranus exſcripſerant, prototypo congrueret, quem Eccleſiæ Gallicanæ candorem non
n. 6. ſatis mirari poteſt Baronius, dicens: *Conſide-*
449. *raſtine in his, Lector, candorem Fidei Eccleſiæ Gallicanæ, cùm licet doctiſsimi eſſent Epiſcopi, eandem encyclicam epiſtolam exſcribentes, maximè timerent ne vel in apice vno à fide ſuſcepta, à Romano Pontifice diſcreparent.* Ita Scriptores Martyrologiorum Latini paulò recentiores, eius fuerunt reuerentiæ erga antiquiores & Græcos, vt ne apicem quidem in vllis voluerint addere. Alterum exemplum eſt ad hoc argumentum maximè accommodatum: quamuis enim Eccleſia Aquenſis, verbi gratia (idipſum de alijs Prouinciæ Eccleſijs) à multis retrò ſæculis, vt fatetur aduerſarius, exiſtimet hanc noſtram hiſtoriam certiſſima veritate niti: nihilominus in Martyrologijs ordinarijs & veteribus & recentibus eiuſdem Eccleſiæ Aquenſis, non ſunt alia verba in diebus natalibus Magdalenæ, Lazari, & Marthæ, quàm ea quæ paulò ſupra retulimus ex Adone. Proindeque ſicut Eccleſia Aquenſis, verbi cauſa, ingenuitate

quadam Religiosa, nihil voluit addere Adonis Martyrologio, nec deſignare loca vbi colantur Magdalena, Martha, & Lazarus; ita nec Ado Martyrologijs Vſuardi & Bedæ, ſicut nec iſti Martyrologijs Sancti Hieronymi, & Euſebij, aliquid addere voluerunt; ſed omnia traditionum iudicio relinquenda eſſe iudicarunt.

Aliter verò in his, quorum apud Menologia Græcorum nulla fit mentio, vel quæ non ſunt ita antiqua, vt ſola traditione firmentur, & aliunde poſſunt probari, procedunt Ado, & alij, deſignando videlicet loca vbi coluntur, vt de S. Mitrio Aquenſi ita Ado; *Idib. Nouemb. in Prouincia apud ciuitatem Aquis B. Mitrij clariſsimi Martyris*, &c. De S. Maximo Regienſi: *Ad 5. Cal. Decemb. in Gallijs ciuitate Regienſi natalis S. Maximi Regienſis*, &c. De S. Donato Ciſtaricenſi: *Ad 14. Cal. Septemb. in Gallijs pago Segeſterico, in monte qui dicitur Iura, natale S. Donati Presbyteri*, &c.

Cæterùm, quanquam per multa ſæcula is fuerit Eccleſiæ Latinæ, & maximè Gallicanæ, aut timor, aut candor, & ea erga ſacram antiquitatem reuerentia, vt cœco ductu, & amplexu, immutatis apicibus, nec auctis, nec diminutis, antiqua Martyrologia ſuſciperentur ab omnibus, & legerentur, tamen conſultius viſum eſt quibuſdam, addenda eſſe

ſingulis diebus loca, in quibus Martyres, aut alij Sanct, paſſi ſunt, aut vixerunt, & eorum Reliquiæ coluntur. In quo genere præiuit Luminoſus ille (eò quòd ita doctiſſimè ſcripſerit de lumine) & accuratiſſimus, Abbas Meſſanenſis, Franciſcus Maurolycus, in ſuo Martyrologio Venetijs impreſſo ann. 1568. dicendo; *16. Cal. Ianuar. Maſſiliæ B. Lazari*, &c. *Ad 4. Cal. Auguſti, eodem die feſtum Sanctæ Marthæ Virginis ſororis Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Sancti Lazari hoſpitæ Saluatoris noſtri, quæ iuxta Rhodanum & vrbem Auenionenſem obijt.* Et pòſt ipſum, adhuc luculentiùs Martyrologium Romanum Baronij: *Apud Maſſiliam natalis S. Mariæ Magdalenæ*, &c. *Tharaſci in Gallia Narbonenſi, S. Marthæ*, &c. *Maſſiliæ in Gallia Beati Lazari*, &c. Quas item methodum & obſeruationem poſtea ſequuti ſunt Fr. Philippus Ferrarius Alexandrinus Ord. ſeruorum B. M. in catalogo Sanctorum Italiæ, Mediolani edito 1613. & in alio catalogo generali Sanctorum qui non ſunt in Martyrologio Romano, edito Venetijs 1625. Andr. Sauſſeyus in Martyrologio Gallicano, Ferdinandus Vghellius in Menologio Ciſtercienſi, & omnes illi qui agunt de Martyrologijs diuerſorum Ordinum Religioſorum.

Et per hæc, patet reſponſio ad ea quæ nobis obijcit aduerſarius pag. 26. cùm dicit addr-

diſſe nos quædam, poſt annum 1560. Martyrologio Romano, quæ nulla ante annum Chriſti 600. traditione poſſunt defendi. Concedimus quidem conſultò,& addidiſſe, & ea longiori quàm petit traditione, probaſſe.

§. 7. *Reſpondetur argumentis contrarijs poſitiuis, & vniuerſalibus.*

AB argumentis negatiuis tranſeamus ad poſitiua, & primò ad vniuerſalia, cuius generis vnicum tantùm nobis opponit aduerſarius pag. 74. & ſequ. deductum ex authoritate Seueri Sulpitij, ſiue ille ſit Bituricenſis Archiepiſc. an. 587. ſiue Primalienſis Præsbyter (& B. Martini Diſcipulus, circa ann. 400. *Libr. 1 Hiſt.* qui ait: *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tùm primùm intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Ex qua authoritate ſic videtur concludere aduerſarius, non ſolùm Lazarum non fuiſſe in Prouincia Martyrem, cuius Martyrium 31. Auguſt. colit Eccleſia Maſſilienſis, cùm iſta perſecutio quinta fuerit circa annum 163. ſed nec Magdalenam, Martham, & Maximinum, fuiſſe in Prouincia, cùm ſeriùs & tardiùs trans Alpes Chriſti Fides fuerit ſuſcepta. Immò ex eadem authoritate non tantùm intendit ad-

uerſarius nobis abripere noſtros omnes anti-quiores Cælites Prouinciæ, ſed & reliquos omnes Eccleſiarum totius Galliæ Proto-flamines. O ſingularem hominis Chriſtiani & Catholici modeſtiam & pietatem!

Verùm cùm hanc authoritatem ſæpiùs atque iterùm recoctam & repetitam ab ijs qui agunt de Dionyſio Pariſienſi, & alijs, aduerſarium non pudeat protuliſſe, pigeret me diutiùs inhærendo eam alia ratione refellere, quàm qua Auctores benè multi & doctiſſimi dicunt, eam non eſſe conformem veritati; cùm ſit contraria & traditioni & multis ſummorum Pontificum epiſtolis, quibus conſtat fidem Catholicam non ita ſeriùs illuxiſſe in Gallias, ſicut dicit *S*euerus. Eleutherius enim circa annum 180. ad prouincias Galliæ ſcripſit epiſtolam: ex qua inſcriptione colligitur fidem Catholicam tunc temporis per vniuerſam Galliam fuiſſe propagatam. Ante ipſum Anicetus circa annum 167. epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ, de ordinationibus Epiſcoporum, de Primatibus & Metropolitanis. Vnde conſtat iam fuiſſe in Gallijs magnum Epiſcoporum numerum, & iamjam eos conueniſſe ad celebrandum Concilium. Immò & Pius I. eius prædeceſſor, circa annum 160. epiſtolam ſcripſit ad Iuſtum Vienenſem Epiſcopum, in qua meminit S. Veri, vnius ex an-

receſſoribus eiuſdem Iuſti. Viuebat autem Verus tempore Traiani circa annum 110. Vnde manifeſtè conſtat fidem Catholicam non ita ſeriùs in Gallijs fuiſſe ſuſceptam, quàm inſinuat Seuerus, cuius proinde teſtimonium tanquam erroneum ab omnibus reijcitur Scriptoribus tùm antiquis tùm neotericis.

Sed eſto quòd forſan non fuerint Martyria in Gallijs, ante quintam perſecutionem, temporibus Antonini: potuiſſe tamen fidem Catholicam, aut indulgentia aut incuria Præſidum Prouinciarum, latenter introduci, & propagari, nemo ſanæ mentis inficias ibit. Adde quòd perſecutionum genera duo ab Auctoribus aſſignantur. Vnum locale, aut particulare, quo ſpeciatim in odium Chriſtianæ Religionis in quibuſdam peculiaribus locis deſæuit quorumdam Tyrannorum in Martyres furor, & rabies. Alterum generale & vniuerſale, quo per aliquam vniuerſam prouinciam, aut ferè per totum mundum, fuit in vniuerſos Fideles perſecutio. De poſteriori perſecutione, non de priori loquitur Seuerus, cùm dicit ſub Aurelio primùm intra Gallias Martyria viſa, id eſt Martyria generalia, non particularia, quæ generalibus præceſſerunt, proindeque non ita ſeriùs trans Alpes Religio Chriſti, & Martyrium particulare Lazari, ſuſcepta ſunt.

Digitized by Google

§. 8. *Reſpondetur argumentis contrarijs particularibus, & primo his quæ ſunt contra S. Maximinum.*

AB vniuerſalibus argumentis ad particularia deſcendamus, & primo ad ea quæ ſunt contra S. Maximinum, de quo aduerſarius pag. 3. ſic ait: *Sed de Maximino, qui primus Aquenſium Antiſtes fuerit, nullam vnquam, vel in veteribus Martyrologijs, vel Eccleſiæ Scriptoribus, factam eſſe mentionem*: & pag. 4. aſſerit eum *in ipſis Aquenſis Eccleſiæ Litanijs ann. 1577. editis, locum adhuc non habuiſſe* Quis talia audiendo temperet à riſu? Nihilominus veteres Scriptores de Maximino loquentes audiuimus ſæculis 14. 13. 12. 11. 10. 7. 6. & 5. vetera audiamus Breuiaria & Martyrologia. Et quidem Breuiarium metropolitanæ Eccleſiæ Aquenſis vetuſtiſſimum ita habet: *Perſecutionis procella ſæuiente*, &c. *erat tunc temporis cum Apoſtolis B. Maximinus, vnus ex 72. Diſcipulis, vir vniuerſa morum probitate conſpicuus, doctrina pariter & miraculorum virtute præclarus*, &c. Martyrolog. verò eiuſdem Eccleſię vetuſtiſſimum ex membranis M S. quod extat apud clariſſimum Virum D. Nicolaum de Mimata I V. Doctorem, eiuſdemque Eccleſiæ Canonicum (quod licet

ſit ſine die & Conſulo, tamen quia ſunt in illius margine quædam variæ diuerſorum temporum notatiunculæ, & quædam de an. 1260. ad iſtud ſaltem tempus referri debet) ita habet: *Idibus Iunij depoſitio S. Maximini Aquenſium Archiepiſcopi, qui primus eiuſdem ciuitatis rexit Eccleſiam, fuitque vnus ex 72. Chriſti Diſcipulis.* Omitto plura alia Breuiaria & Martyrologia, omnium ferè Eccleſiarum vtriuſque Narbonenſis Prouinciæ, quæ diligentiſſimè refert R. P. Gueſnæus *cap. 16.*

Verùm nec ſola Eccleſia Latina colit S. Maximinum, ſed etiam Ieroſolymitana. Nam in Calendario feſtorum iſtius Eccleſię in tomo 3. Annalium Ordinis F F. Minorum doctiſſimi R. P. Lucæ Vuadingi Hiberni, Generalis inquiſitionis Romanæ Cenſoris, & Collegij S. Iſidori in vrbe Gardiani, ita habetur. *Iunij 8. S. Maximini Diſcipuli Domini & Epiſcopi Aquenſis*: quo autem tempore fuerit editum huiuſmodi Calendarium, non apertè conſtat. Reponit autem ad ann. Chriſti 1342. licet ſine dubio ſit antiquius. Ex quibus manifeſtè conſtat, an ſit ita verum, vt nulla ratione poſſit falſi conuinci, quod ait aduerſarius, *nullam vnquam, vel in veteribus Martyrologijs, vel Eccleſiæ Scriptoribus, Maximini factam eſſe mentionem.*

Eiuſdem argumenti eſt nomen S. Maximi-

ni impoſitum iſti oppido, quod legitur in Regiſtro Pergamenorum in Archiuijs Regijs Aquenſibus fol. 44. vbi habetur catalogus omnium ciuitatum & oppidorum totius Prouinciæ. In Epiſcopatu Aquenſi legitur, *item villa S. Maximini.* Cui Catalogo, licet non ſit præfixum tempus quo conditus eſt : tamen antiquior ſaltem eſt tranſlatione ſedis Epiſcopalis Antipolitanæ ad ciuitatem Graſſenſem, quia in eo legitur, *Antipolis ciuitas poſita ſuper mare cum toto ſuo Epiſcopatu contigua epiſcopatui Vencienſi, eſt ſub dominio Comitis Prouinciæ. Caſtra autem ſunt hæc, caſtrum de Lobeto, &c. item villa Graſſa &c.* At tranſlationem iſtam factam eſſe circa ann. 1243. ſub Innoc. IV. & ſub Raimundo Epiſcopo Antipolitano Ord. Fratrum Prædicatorum, docent Maluanda, Bernardus Guido, Leander Albertus, Antonius Senenſis, & alij qui agunt de Viris illuſtribus eiuſdem Ordinis, & Noſtradamus in hiſt. Prouin-
.201. ciæ. Ergo ſaltem ab anno 1243 ita nominatur villa vel oppidum S. Maximini (ſed longiori tempore antea, hoc nomen fuiſſe illi impoſitum, ſupra ex Bulla Greg. VII. ſæculo XI. & ex codice Senecenſi ſæculo X. probauimus) quod oppidũ probabiliſſimè exiſtimo eſſe illam Tegulatam, aut Tectolatam, quę eſt in via Aurelia itinerarij Antonini Auguſti, & in carta Putingeriana, vbi à fluuio Varo Arelatem

vſque, nominando oppida, habentur iſta, *Antipoli* (Antibe) *ad Horrea*, (quod pluribus rationibus exiſtimo eſſe ciuitatem Graſſenſem) *Foroiulij*, (Freius) *Foro Voconij* (le Luc, aut le Canet) *Matauone* (Brignole) *ad Turrem* (Tourues) *Tegulata*, (S. Maximin) *Aquis Sextijs &c.* cui opinioni meæ ſuffragatur illud vulgare, quo dicitur oppidum S. Maximini vocitatum fuiſſe antea, Villa-lata, ſed potius corrupto nomine Tegulata, aut Tectolata.

Ad id vero quod addit aduerſarius S. Maximinum in Litanijs Eccleſiæ Aquenſis anno 1577. editis, adhuc non habuiſſe locum; dico eſſe argumentum riſu explodendum; quaſi vero omnium Sanctorum nomina in Litaniis ſint reponenda? quaſi vero ex eo quòd S. Maximini non fieret mentio in Litanijs, ideò erronea eſſent Breuiaria, Martyrologia, & alia MS. quæ de eo teſtantur? O peremptorium ratiocinandi modum!

Verùm neque propterea herbam porrigimus, neque ſe viciſſe exiſtimet aduerſarius. Litanias enim, in quibus fit mentio S. Maximini, multò antiquiores quàm refert, habemus. Etenim in *M*iſſali ad vſum Eccleſię Metropolit. Aquenſis, Lugduni impreſſo ann. 1527. per Dionyſ. Harſy, ſumptibus Ioan. Oſmont, correcto per Ioannem Duranti Canonicum, Iacobum Graſſi, & Petrum Burle *Be-*

neficiatos eiuſdem Eccleſiæ Aquenſis, in
Litanijs Sabbathi Sancti habetur, *Sancte Line ora, &c. Sancte Clete ora, &c. S. Silueſter ora, &c. S. Maximine ora, &c. S. Gregori ora, &c.* Ad hæc quid dicam aduerſario? nunquid & illud
arci 1. idem, quod Chriſtus maligno ſpiritui, *obmu-*
15. *teſce, & exi de homine*: vel modeſtius, illud idem, quod mari ventis agitato, *tace, obmuteſ-*
arci 4. 39. *ce*, & vtinam, *ceſſet* cauillandi *ventus*, & fiat in te *tranquillitas magna*?

§. 9. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra S. Lazarum Maſſilienſem*

ARgumenta quæ contra S. Lazarum maſſilienſem proponuntur, vix vllius ſunt momenti. Immò eorum nonnulla noſtram ſententiam confirmant, quoad ea quæ §. 2. diximus, circa tempus B. Magdalenæ aduentus in Prouinciam. Intendit ergo probare auctor pag. 51. S. Lazarum fuiſſe Epiſcopum Citienſem in Cypro, & ibi obijſſe, & ſepultum eſſe, his rationibus.

Prima petitur ab authoritate Epiphanij Conſtantiæ Cypri Epiſcopi lib. 2. Hæreſi 66. circa annum Chriſti 375. qui ſic ait, *nec eſt quod ſibi quiſquam perſuadeat Lazarum ſubinde eſſe mortuum* (*quando primùm excitatus eſt à mortuis*)
hoc

Digitized by Google

hoc enim Euangelium apertè declarat accubuiſſe poſtea Ieſum, & cum eo Lazarum ſimiliter accubuiſſe, quin & illud inter traditiones reperimus, 30. annos natum fuiſſe Lazarum, cùm à mortuis excitatus eſt, atque idem ille 30. alijs annis vixit, atque ita mortuus, ad Dominum redijt: ex qua authoritate vult concludere aduerſarius, Lazarum in Cypro fuiſſe, & ibi obijſſe: ſed arcadico cuidam viro non erit forſan hoc difficile perſuadere: nobis verò, quibus iudicij lumen non eſt vſquequaque extinctum, ex hoc loco tantum colligimus, Lazarum 30 annos fuiſſe natum, quando à mortuis excitatus eſt, & iterum 30. adhuc alijs annis (forſan in Cypro, quod non improbo, vt inſinuaui §. 2.) vixiſſe: ſed quod in Cypro mortuus ſit, non illud magis quam in Anglia, aut Scotia, ex hac authoritate colligo obijſſe.

Secunda ratio deſumitur ab authoritate illius Martyrologij, quod Cardinalis Sirletus latinitate donauit, vbi 17. Octob. ſic habetur, *Relatio pretioſarum Reliquiar. Sāctii & iuſti Lazari, quas Reliquias celeberrimus & fideliſsimus Imperator Leo, diuino zelo commotus, in Templo pulcherrimo ſub eius S. viri nomine dicato, ex vrbe Citienſi Conſtantinopolim tranſlatas in argenteis loculis repoſuit*, & quia Citium eſt vrbs inſulæ Cypri; ideo infert aduerſarius Reliquias S. Lazari, Cypro trāſlatas eſſe Conſtantinopolim à Leo-

ne Imperatore circa annum 886.

Reſpondeant alij hunc Lazarum non eſſe fratrem B. Magdalenæ & Marthæ, ſed quemdam alium, quia ex iſto loco non apertè conſtat, cuius Lazari transferantur Reliquiæ, cùm aliunde eiuſdem nominis plures ſint Sancti cognomines, vt plures Petri, plures Andreæ, plures Claudij, cur non plures Lazari? cùm ex eadem ratione colantur in Gallia duo Antonij, & vterque creditus Ægyptius: immò quod magis mirandum, duo capita recenſentur Ioannis Baptiſtæ, vnum Romæ in Mona- Aug. ſterio S. Silueſtri, alterum in Gallia de quo Baronius in notis Martyrol. Identitas enim, aut conformitas nominis, facit ſæpiſſimè vt quod vni competit, vulgò alteri tribuatur, ego vero vltro concedo fuiſſe Reliquias Lazari, Marthæ & Magdalenæ fratris, quem ſupra §. 2. diximus veniſſe in Cyprum, & ibi aliquantiſper habitaſſe, Epiſcopale munus exercendo, antequam vnà cum ſororibus mari ſe committeret. Sed de quibus Reliquiis intelligendus eſt locus iſte? Nomine Reliquiarum non tantum intelligenda eſſe oſſa ſacra Sanctorum, ſed etiam capedines, vaſa, veſtes, ſupellectilia; immò & loca quæ ipſi Sancti in- ibr. 6. coluerunt, vbi paſſi ſunt, aut aliquid præcla- culti re geſſerunt, certum eſt apud omnes, vt do- unct. ctiſſimè obſeruat Bellarm. quo ſenſu catini ip. 4

illi in caſa Lauretana Beatiſsimæ Virginis, pecten eiuſdem apud Treuirenſes, annulus illius ſponſalitius in Peruſia, fuſus eiuſdem, & alia ad B. Virginem ſpectantia, vocantur Reliquiæ, ſicuti velum eiuſdem, & zona quam moriens S. Ioanni reliquit. De quibus S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitando eadem re. Et cùm non apertè conſtet ex hac authoritate, de quibus Reliquiis loquatur, facile intelligere poſſumus, fuiſſe vaſa, aut veſtes & ſupellectilia, quibus Lazarus vſus eſt, vel ad commodum ſuum, vel ad miniſterium diuini cultus, dum Citij moraretur; in quarum Reliquiarum honorem potuit ipſe Imperator Leo Conſtantinopoli erigere templum, & ibi eas honorificè reponere. Quem ædificandi templa Conſtantinopoli, in honorem Reliquiarum eiuſdem generis, morem, non eſſe nouum, conſtat ex tribus templis, videlicet primum in honorem zonæ Beatiſſimæ Virginis, alterum in imaginis eiuſdem à S. Luca depictæ, tertium in honorem faſciæ Chriſti, quæ ibidem erexerat antea circa annum 440. Pulcheria ſoror Theodoſij II. ex Nicephoro, & ex illo templo, quod circa idem tempus Eudoxia eiuſdem Theodoſij vxor, ibidem ædificauit, in honorem vnius ex illis catenis, quibus *S.* Petrus Ieroſolymis ligatus fuerat, vt conſtat ex laudibus vincu-

Lib. 14. cap. Lib. cap.

ne Imperatore circa annum 886.

Reſpondeant alij hunc Lazarum non eſſe fratrem B. Magdalenæ & Marthæ, ſed quemdam alium, quia ex iſto loco non apertè conſtat, cuius Lazari transferantur Reliquiæ, cùm aliunde eiuſdem nominis plures ſint Sancti cognomines, vt plures Petri, plures Andreæ, plures Claudij, cur non plures Lazari? cùm ex eadem ratione colantur in Gallia duo Antonij, & vterque creditus Ægyptius: immò quod magis mirandum, duo capita recenſentur Ioannis *B*aptiſtæ, vnum Romæ in Mona-

Aug. ſterio *S. S*iluestri, alterum in Gallia de quo *B*aronius in notis Martyrol. Identitas enim, aut conformitas nominis, facit ſæpiſſimè vt quod vni competit, vulgò alteri tribuatur, ego vero vltro concedo fuiſſe Reliquias Lazari, Marthæ & Magdalenæ fratris, quem ſupra §. 2. diximus veniſſe in Cyprum, & ibi aliquantiſper habitaſſe, Epiſcopale munus exercendo, antequam vnà cum ſororibus mari ſe committeret. Sed de quibus Reliquiis intelligendus eſt locus iſte? Nomine Reliquiarum non tantum intelligenda eſſe oſſa ſacra *S*anctorum, ſed etiam capedines, vaſa, veſtes, ſupellectilia; immò & loca quæ ipſi Sancti incoluerunt, vbi paſſi ſunt, aut aliquid præcla-

lv. 6. *cultu* re geſſerunt, certum eſt apud omnes, vt do-

ſſ. *p. 4* ctiſſimè obſeruat Bellarm. quo ſenſu catini

illi in caſa Lauretana Beatiſsimæ Virginis, pecten eiuſdem apud Treuirenſes, annulus illius ſponſalitius in Peruſia, fuſus eiuſdem, & alia ad B. Virginem ſpectantia, vocantur Reliquiæ, ſicuti velum eiuſdem, & zona quam moriens S. Ioanni reliquit. De quibus S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitando eadem re. Et cùm non apertè conſtet ex hac authoritate, de quibus Reliquiis loquatur, facile intelligere poſſumus, fuiſſe vaſa, aut veſtes & ſupellectilia, quibus Lazarus vſus eſt, vel ad commodum ſuum, vel ad miniſterium diuini cultus, dum Citij moraretur; in quarum Reliquiarum honorem potuit ipſe Imperator Leo Conſtantinopoli erigere templum, & ibi eas honorificè reponere. Quem ædificandi templa Conſtantinopoli, in honorem Reliquiarum eiuſdem generis, morem, non eſſe nouum, conſtat ex tribus templis, videlicet primum in honorem zonæ Beatiſſimæ Virginis, alterum in imaginis eiuſdem à S. Luca depictæ, tertium in honorem faſciæ Chriſti, quæ ibidem erexerat antea circa annum 440. Pulcheria ſoror Theodoſij II. ex Nicephoro, & ex illo templo, quod circa idem tempus Eudoxia eiuſdem Theodoſij vxor, ibidem ædificauit, in honorem vnius ex illis catenis, quibus S. Petrus Ieroſolymis ligatus fuerat, vt conſtat ex laudibus vincu-

Li bi. ca. Lib ca.

lorum Petri inter ſermones Bedæ.

Sed inſtare mihi videtur aduerſarius pag. 58. & 59. nomine Reliquiarum non intelligenda eſſe hæc vaſa, veſtes & ſupellectilia Lazari, ſed potius eius oſſa, & ſacras corporis exuuias, idque probare ex authoritate magnorum Menæorum, & Synaxário Græcorum à 500. annis exarato. Itemque authoritate Georgij Cedreni, Ioannis Curopalatæ, & Ioannis Zonaræ Monachi Conſtantinopolitani, ex quorum hiſtorijs conſtat Leonem Imperatorem Conſtantinopoli erexiſſe Templum B. Lazaro ſacrum, in eoque repoſuiſſe corpus Lazari, itemque corpus Magdalenæ eius ſororis, priùs è Cypro, poſteriùs Epheſo adductum, ergo, &c.

Verùm ad hæc dicant alij nuperos iſtos Auctores dixiſſe ſuo marte, vtpote vaniloquentiæ & iactantiæ vitio, quo Græci vt plurimum ſunt deditì, has Reliquias eſſe oſſa & corpora ſacra iſtorum Sanctorum, cum tamen Menologium antiquum, confectum forſan tempore Leonis, eas ſimpliciter nominet Reliquias, nec ſpeciatim extendat ad corpora: alij, potuiſſe eſſe plures Lazaros, vt paulo ſupra indicaui, vnumque obiiſſe in Cypro, & inde Conſtantinopolim tranſlatum, & alterum in Prouincia: alij, potuiſſe Citienſes & Epheſinos primis ſæculis habere à Phocenſibus quaſdam

particulas corporis Lazari & Magdalenæ, eaſque tranſtuliſſe Citium , & Epheſum : ex quibus particulis diuiſis , & in diuerſis locis poſitis , ſumpſiſſe occaſionem ſtatuendi eiuſdem corporis diuerſa ſepulchra & monumenta, quod ſolere ita fieri multis probat *Baronius* : *In* alii , ſcripſiſſe hos Auctores tempore ſchiſma- *Ma* *cap.* tis inter Eccleſiam *Græcam* & Latinam : & quia erant *Græci*, minus conſuluiſſe honori Eccleſiæ Latinæ , immò in eius odium ſacratiora Religionis & pietatis monumenta illi præripere voluiſſe;indeque aſſerant,Cedreno, Zonaræ,& aliis *Græcis* Scriptorib.in multis rebus falſi cõuictis,fidem adhibendam non eſſe.

Alii dicant alia. Ego verò, quia exiſtimo, vt indicaui ſupra §. 2. Lazarum veniſſe Citium in Cypro , & Magdalenam Epheſum , eo tempore quo B. Virgo Maria , vnà cum Ioanne Euangeliſta Epheſi commorabatur , vt pluribus ibi probatum eſt : probabiliſsimum iudico Citienſes & Epheſinos, in memoriam tantorum virorum, vel in gratiarum actionem pro beneficiis ab eis acceptis, ſtatim poſt illorum diſceſſum , vel longiori tempore pòſt, erexiſſe quædam monumenta in eorum recordationem,& forſan in eiſdem repoſuiſſe quaſdam ipſorum Sanctorum Reliquias, putà veſtes,aut ſupellectilia, ex quibus erectis iudicarunt illorum poſteri, nimium creduli, immò

& fabuloſi, & vaniloqui, vtpote Græci, & fabularum inuentores (vt illis ex authoritate cuiuſdam eorum Poëtæ, nempè Epaminondæ,
1. obijcit Apoſtolus (*Cretenſes ſemper mendaces*) præter infinita teſtimonia ex libris Gentilium,
al; idipſum teſtantium (*& quidquid Græcia mendax*
vr. *audet in hiſtoria*) illos Cretes ibi obijſſe, & quieſcere; quod ex opinione vulgi non fuit difficile perſuadere Leoni Imperatori, qui octingentis pòſt annis vixit, nempè ſæculo IX. & multominus Cedreno, Curopalatæ, & Zonaræ, qui adhuc recentiores ſunt, & ſæculis XI. & XII. ſcripſerunt.

Quòd autem in memoriam aliquorum Martyrum erecta fuerint diuerſa monumenta etiam ſine ipſorum Reliquijs, pluribus exem-
ec. plis id factum fuiſſe demonſtrat Baron. & ſa-
yr. nè S. Ioannis Euangeliſtæ ſepulchrum Epheſi oſtendi ab omnibus tùm Græcis tùm Latinis dicitur: & tamen ex multorum opinione Ioannes non eſt mortuus, ſed cum Helia & Enoch ad confundendum Antichriſtum è Paradiſo terreſtri venturus eſt. Quinetiam & apud Profanos, vnius & eiuſdem corporis poſſe diuerſa eſſe ſepulchra abit opinio, vt conſtat de diuerſis Æneæ ſepulchris, ex Dion.
im. Halicarnaſ. his verbis: *Quod ſi quem perplexum facit, quòd Æneæ ſepulchra monſtrentur in multis locis, nec poſſit niſi in vno eſſe conditus. Cogitet hanc*

dubitationem eſſe vulgarem , *& intelligat quòd quamuis vnicus locus capiat virorum id genus periluſtrium corpora* , *apud multos tamen monumenta eis facta ſunt* , *in gratiam accepta vtilitatis cuiuſpiam*. Quidni quoque in gratiam acceptæ vtilitatis potuere Citienſes & Epheſini erigere monumenta & ſepulchra Lazaro & Magdalenæ , licet ibi non fuerint ſepulta , & alibi quieſcant?

Sed adhuc vrgere poteſt aduerſarius. Ad quid vmbratica iſta monumenta , cùm ex citatis authoritatibus conſtet Lazari & Magdalenæ Reliquias, immò eorum corpora, Conſtantinopolim eſſe delata? optimè ſane. Eſto ſint vera corpora; ſed à quo habebant Citienſes & Epheſini anno 886. illa corpora eſſe Lazari & Magdalenæ, cùm nullum illo tempore antiquius certum habeatur teſtimonium? Quidni potuerint eſſe corpora aliorum quorumdam antiquorum Martyrum, quæ venerans ignara plebicula exiſtimauerit illa eſſe corpora Lazari & Magdalenæ , ſuper quæ poſtmodum erexerit monumenta & ſepulchra? Exemplis rem confirmo: meminit Greg. Turon. cuiuſdam impoſtoris, qui coloſſio indutus, ac Crucem deferens, prædicabat ſe de Hiſpania aduentare, cum Reliquijs Martyrum Vincentij & Fœlicis; cuius tandem fallaciæ & præſtigiæ detectæ fuerunt. Et alter Sanctus Lib. cap.

3. Gregor. ſcriptum reliquit, Græcos quoſdam
3. Monachos deprehenſos confeſſos fuiſſe ſe oſſa quædam in Græciam pro Reliquijs portaturos, ac etiam, vt habet epiſtolæ ſummarium, vendituros. Legatur hiſtoria Antonian., quoad hæc quid ſentiendum ſit de duobus Antonijs Viennenſi, & Arelatenſi. Sed rem magis admirandam profero. Nonne ex eo quod conueniebant quidam Catholici, ad orandum pro anima cuiuſdam latronis ad patibulum laqueo ſuſpenſi, & ibi ſepulti, exiſtimauerint poſtmodum, & inſcia plebs, & populi magnates & Eccleſiaſtici (nam quidam Epiſcopi erexerant ibi Altare in honorem Martyris incogniti) illa oſſa eſſe Reliquias cuiuſdam Martyris, & vt talia coli ab omnibus, excepto ſolo B. Martino, cui reuelatum eſt contrarium, accitaque ab eo huius corporis anima, reſpōdit ea eſſe oſſa furciferi ad inferos damnati? ita habetur in vita S. Martini apud Seuerum. Hinc prudenter Tridentinum, ſeſſ. 25. titulo de inuocatione, veneratione, & Reliquijs Sanctorum, informationem Reliquiarum ſedulo faciendam ad Epiſcopos tranſmittit.

Ad hoc vltimum inſtare poteſt aduerſarius cur potius Reliquiæ Lazari & Magdal. quæ creduntur in Græcia, ſint vmbraticæ & ſuppoſititiæ, quàm eæ quæ coluntur in Prouincia

Digitized by Google

aut cur potius iſtæ ſint veræ quàm illæ cui inſtā[illegible] p[illegible]æ et rationes & authoritates Scriptorum cuiuſque ſæculi ſupra allatas, ſatiſfieri cenſeo, ſi dicamus noſtram hanc hiſtoriam veritati magis eſſe conformem. Etenim cur Lazarus Citij, Magdalena Epheſi; & Martha Ieroſolymis obijſſe dicantur? nunquid inter fratres & ſorores, vt plurimùm accidit indiſtantia in vita & morte, nunquid probabilius eſt eandem regionem fuiſſe tumulum ijs quibus eadem fuere cunæ? hanc eădem rationem pa[illegible]lò lat[illegible]ù[illegible] vrgeo ſupra ratione vlt. §. 5.

Tertia ratio fundatur in authoritate quorumdam Scriptorum ex Latinis, qui videntur indicare Lazarum obijſſe in Cypro & primò pag. 52. Honorij Auguſtodunenſis Eccleſię Præsbyteri, circa annum 1120. qui ſerm. in Ramis Palmarum ita habet: *Phariſæi decreuerunt vt Lazarus interficeretur, ſed Deo de illo melius diſponente, ad vtilitatem Eccleſiæ reſeruatur: nam fertur quòd poſtmodum 30. annis in Cypro Eccleſiæ Epiſcopus præfuerit.* Sed eſto quòd Honorius hunc ſermonem ediderit, de quo tamen dubitant nonnulli, immò eum à veterum Patrum Bibliotheca expungunt. Eſto quòd Lazarus fuerit Citij Epiſcopus, quod libenter faſſus ſum §. 2. licet dicat Honorius *fertur*, non tamen ſequitur ibidem obijſſe, nec alibi Epiſcopale munus exercuiſſe: licet enim ſit ma-

trimonium ſit inter Epiſcopum & illius Eccleſiam; tamen illud coniugium non eſt ita indiſſolubile, vt non liceat viuente vxore ad ſecundas nuptias tranſvolare, exemplo Petri Sedem Antiochia Romam transferentis, & aliorum, apud Auctores qui agunt de Dionyſio priùs Athenarum Epiſcopo, poſtmodum Pariſiorum. Potuit enim Lazarus aliquantiſper, immo & per 30. annos manſiſſe Citij, & poſtmodum regreſſum fuiſſe Ieruſalem, & vnà cum ſororibus ſuis veniſſe poſtea in Prouinciam, cùm ſuppoſuerimus ſupra, hunc appulſum in Prouinciam non fuiſſe niſi 30. annis poſt mortem Chriſti, nempè poſt mortem Iacobi minoris, à cuius morte ad Chriſti mortem numerantur verè anni 30. cùm ex melioris notæ Auctoribus Chriſtus paſſus ſit anno ætatis ſuæ 32. & tribus menſibus tantum, & Iacobus Martyrio coronatus anno Chriſti 62. & ſic vera inter vtriuſque mortem eſt diſtantia annorum 30.

Et ex iis patet reſponſio ad aliam authoritatem, quam affert aduerſarius eadem pag. 82. deductam ex proſa Diuini Officij, quæ cantatur in Eccleſia S. Lazari tum Pariſienſis tum Bellouacenſis, quæ ita habet: *Suſcitatur Lazarus tumulo vinctus,* &c. *diſcedit Lazarus, deſerit patriam, mare tranſijt, timens ſæuitiam Iudæorum, deuenit ocyùs in Cyprum inſulam, flos San-*

ſtorum, Præſulatu ſublimatus, mundo venit, Deo gratus, tandem per Martyrium eſt à Deo coronatus, & in Cælo collocatus ordine Cæleſtium. Patet inquam reſponſio, dicendo Lazarum verè fuiſſe Epiſcopum Citij in Cypro, non tamen ſequi ibidem obijſſe, cùm hoc non expreſſe dicat Proſa: & licet dixiſſet, iuxta opinionem Græcorum loquuta fuiſſet, quanquam, vt verum fatear, nullum nobis infertur præiudicium, ſi dicamus Honorium Auguſtodunenſem, & huiuſmodi Proſarum Auctores, vtpote à noſtra Prouincia valdè diſſitos, ignoraſſe noſtras traditiones, quarum ſi notitiam habuiſſent, iuxta ſenſum Latinorum & non Græcorum loquuti fuiſſent.

Adducit præterea aduerſarius pag. 53. teſtimonium Villamontij, qui lib. 2. Peregrinationum cap. 7. ait vidiſſe Citij in Cypro vetuſtiſſima Templa in honorem Sancti Lazari Citienſis Epiſcopi ædificata: ſed ſicut hominis plebæi protuliſſe authoritatem me pudet, ita pigeret eum refellere, cùm nihil probet.

Denique opponi poteſt teſtimonium Flodoardi Rhemenſis Præsbyteri, circa annum 950. lib. 1. de triumphis Sanctorum Palæſtinæ, cap. 27. ex quo habetur, ſepulchrum Lazari videri adhuc in Palæſtina.

Hic prope Bethaniam tibi Lazare ſancte ſepulchrum,

Sed hoc intelligitur de primo illius ſepulchro, è quo iuſſu Domini poſt diem quartam ſurrexit, & de eius domo, in Eccleſiam erecta, vt indicant verba eiuſdem Auctoris ſequentia.

Vnde quaterno poſtquam te Sole retentat,
Hac domus Eccleſia eſt tua ſororumque tuarum.

§ 10. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra Sanctam Magdalenam Maſſilienſem & Aquenſem.*

ARgumenta quæ aduerſarius pag. 54. & ſequ. contra Magdalenam Maſſilienſem opponit, licet ſint multa, ſunt tamen eiuſdem generis, deducta à quibuſdam Auctoribus tum Græcis, tum Latinis, qui dicunt Magd. Epheſi obijſſe; proindeque vna aut altera reſponſione his omnibus ſatisfaciemus, dicendo videlicet.

Primò exiſtimaſſe Græcos duas eſſe Magdalenas Euangelicas, vnam Epheſi obiiſſe, & aliam alibi, quod & aduerſarius ipſe pag. 65. cogitur fateri, dum ait. *Notandum eſt nomine Mariæ Mariam Magdalenam non intelligi, ſed aliam mulierem, iuxta ſententiam veterum Patrum, qui Magdalenam Lazari ſororem non fecerunt, à Peccatrice diſtinxerunt, adeoque plures mulieres in Euangelijs intelligendas ſtatuerunt: qua de re videndus Eſtius in doctiſsima oratione quam de Mag-*

dalena, illiuſque a Peccatrice diſcrimine, habet, & ſic illorum argumenta nihil facere contra nos.

Secundò, ſi vnica ſit tantum Magdalena Euangelica, vt volunt Latini, vt notat Baron. in Martyrol. quod pluribus probat in Annalibus. Et nos breuiter ſupra in fine ſæculi 7. ex teſtimonio Theodoſij Arch. Arelaten. ex eo quòd hæc Magdalena fuerit aliquando Epheſi, comitando B. Virginem, vnà cum Ioanne Epheſum proficiſcentem, vt ex Patribus Concilij Epheſini, & ex epiſtolis Ignatij ad Virginem Mariam & Ioannem, & alijs authoritatibus ſupra §. 2. probauimus, occaſionem ſumpſere Epheſini, aut credendi ibi mortuam (cùm illis non conſtaret de alio loco illius obitus) aut erigendi in illius honorem quędã monumenta, ex quibus illorum poſteri commenti ſunt ibi eſſe mortuam, vt pluribus probaui paulò ſupra, cùm de Lazaro, ex quibus duabus reſponſionibus ſoluuntur argumenta ſequentia. Primum deductum ab authoritate Modeſti Ieroſolimorum Epiſcopi, qui oratione de Vnguentiferis Virginibus, ante annos 1000. edita apud Photium, ita habet. *Hiſtoriæ tradunt Magdalenã, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, hanc Virginem fuiſſe, & Martyrium huius memoratur, vbi dicitur, propter ſummam illius virginitatem, & puritatem, illam tanquam vitrum purum tortoribus viſam fuiſſe: poſt dormi-*

Ad 22. Iul.

tionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ, profe-ctа eſt Epheſum, ad dilectum Diſcipulum, vbi curſum Apoſtolicum per Martyrium vnguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum vſque ſpiritum ab Ioanne Euãgeliſta & Virgine ſeparari. Sed quid ad hæc? abſitne Modeſtum furfureum Auctorem, & Photium Schiſmaticum eſſe dicamus, vt forſan dicturos nos, cum Gueſnæo, indicat aduerſarius pag. 56. quin potius, ſummas, quas poſſumus, agimus gratias vtrique Auctori: immò & aduerſario, qui nobis ingenuè, & forſan incautè, Græcorum ſenſum palam exponunt. Sanè ſi hæc Magdalena Epheſi ſepulta, ſit Virgo & Martyr, certè non eſt noſtra, quam nec vt Virginem nec Martyrem colit Eccleſia. Hinc manifeſtè apparet exiſtimaſſe Græcos, ſicuti etiam de facto nunc quoque ſentiunt (vt conſtat ex litteris R. P. Ioannis Eſtiot Societatis Ieſu, ad P. Gueſn. pag. 65. Romæ miſſis) duas eſſe Magdalenas: vnam è qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, eſſeque illam Peccatricem, quæ prima Dominum reſurgentem videre meruit: & aliam, ſororem Lazari & Marthæ. Primam Epheſi obijſſe, locum alterius neſcijſſe, aut de eo tacuiſſe.

Et ex his patet reſponſio, ad ſecundum argumentum, deductum pag. 58. ex magnis Menæis, ex Sinaxario, ex Anthologio ſiue Breuiario Græcorum, vbi dicitur in officio B.

Magdalenæ die 22. Iulij. *Quæ cum ad Chriſtum acceſſiſſet, ſequuta eſt eum: hæc orta erat ex Magdalis finibus Syriæ, à 7. Dæmonibus turbata. Poſt diuinam igitur & ſanctam Aſcenſionem, dum Epheſi cum B. Ioanne Theologo & Apoſtolo verſaretur, ibi ſanctè obdormiuit, & in ingreſſu Spelæi collocata eſt, in quo Sancti & Beati ſeptem Pueri quieſcunt. Poſtea verò cùm Leo fælicibus auſpicijs imperaſſet, illius allatum inde corpus, in eodem, cum S. Lazari Reliquiis Templo quod Imperator ædificauerat, repoſitum eſt. vbi quotannis feſtiuitas illius celebratur.* Itemque ex hiſtorijs Georgij Cedreni, Ioannis Curopalatæ, & Ioannis Zonaræ, qui fere eadem dicunt de Leone Imperatore, circa ann. 886. Reliquias Lazari, & Magdalenæ Cōſtantinopolim deferente. Verùm dico hos omnes vtpote Græcos, immò & nuperos, à 500. aut 600. annis ad ſummum, iuxta ſuarum traditionum, ne dicam fabularum, ſenſum loqui, exiſtimantes duas eſſe Magdalenas etiam Euangelicas, vt paulò ſupra inſinuaui. An autem probabilis ſit illorum opinio, aut illa Latinorum verior, noſtri non eſt diſputare inſtituti. Verùm quidem eſt, quod iſtorum Auctorum nonnulli aſſerunt, hanc Magdalenam Epheſi ſepultam, ſororem eſſe Lazari; ſed quomodo, & à quibus, neoterici iſti Auctores hæc acceperint, cùm illis antiquiores nihil dixerint, immò contrarium inſinuauerint, vt

conſtat ex ſupradicta oratione Modeſti, & authoritate Photij? Ex nominis identitate facilè fuit vni tribuere quod alteri concedendum erat. Et ſat è prob. biliſſimum iudico, Magdalenam iſtam Epheſinam (ſi verum ſit aliquam Magdalenam fuiſſe Epheſi) non fuiſſe illam de qua ſit mentio in Euangelio, ſed aliam quamdam fœminam eodem nomine vocitatam: ex cuius nominis identitate occaſionem habuere Græci, vtpote fabularum inuentores, & vaniloqui (vt ex teſtimonijs ſcriptorum paulò ſupra inſinuaui, cùm de Lazaro) illi attribuere illa omnia quæ veræ Magdalenæ Euangelicæ competebant. Vnde res eſt non leui admiratione ſuſpicienda, quòd eodem ferè tempore, quo Græci fabulantur ſe habere Reliquias Lazari & Magdalenæ, eaſque transferri Conſtantinopolim, nempe tempore Leonis Imperatoris, anno 886. Latini vero ex altera parte teſtantur ſe habere veras Reliquias S. Lazari & Magdalenæ: illius circa annum 980. in tranſlatione eius ad ciuitatem Heduenſem, iſtius vero 849. in tranſlatione credita Beatæ Magdalenæ ad Monaſterium Vezeliacenſe, & anno 896. in occultatione Reliquiarum eiuſdem, quod exiſtimo ſane non caſu accidiſſe, ſed ductu Diuinæ prouidentiæ, vt poſſint pro eadem re ſe tueri Latini aduerſus Græcos ſynchronicis teſtimonijs: niſi velimus dicere

dicere teſtimonia Latina præ antiquitate longe præſtare Græcis, quæ cum non aliunde petantur quàm ex authoritate Cedreni, Zonaræ, & Curopalatæ, tantùm ad ſæculum XII. aut XI. ſunt referenda, Autographum vero Latinum occultationis Reliquiarum B. Magdalenæ ſæculo IX. eſt adſcribendum.

Sed dices, quomodo potuerint Græci errare in vera cognitione vnius ita celeberrimæ perſonæ, qualis erat Magdalena, aut eam multiplicando, aut vni tribuendo quod alteri conueniebat? Certe cum & circa perſonas longe nobiliores, & in republica Chriſtiana curioſiùs obſeruandas, putà Petrum, Mariam, & Ieſum, non leues apud quoſdam etiam grauiſſimos Auctores irrepſerint errores, quidni & circa Magdalenam? Enimvero ſcribunt Euſebius, Hieronymus, & alij multi, Petrum paſſum eſſe Romæ ann. 37. poſt mortem Chriſti, & ſediſſe Romæ annis 25. quem tamen omnes alij doctiores Hiſtorici aſſerunt paſſum eſſe anno 35. tantùm poſt mortem Chriſti, & ſediſſe Romæ tantùm annis 24. Item tradit Euſebius, & infiniti alij, & eſt communis opinio, obijſſe B. Virginem circa annum Chriſti 48. ac proinde ætatis ſuæ 63. nihilominus certius eſt eius mortem contigiſſe anno Chriſti 57. & ætatis ſuæ 72. Denique de Chriſto mirum eſt, quàm ſint variæ Patrum ſententiæ,

3. Gregor. ſcriptum reliquit, Græcos quoſdam
3. Monachos deprehenſos confeſſos fuiſſe ſe oſſa quædam in Græciam pro Reliquijs portaturos, ac etiam, vt habet epiſtolæ ſummarium, vendituros. Legatur hiſtoria Antonian , quoad hæc quid ſentiendum ſit de duobus Antonijs Viennenſi, & Arelatenſi. Sed rem magis admirandam profero. Nonne ex eo quod conueniebant quidam Catholici, ad orandum pro anima cuiuſdam latronis ad patibulum laqueo ſuſpenſi, & ibi ſepulti, exiſtimauerint poſtmodum, & inſcia plebs, & populi magnates & Eccleſiaſtici (nam quidam Epiſcopi erexerant ibi Altare in honorem Martyris incogniti) illa oſſa eſſe Reliquias cuiuſdam Martyris, & vt talia coli ab omnibus, excepto ſolo B. Martino, cui reuelatum eſt contrarium, accitaque ab eo huius corporis anima, reſpōdit ea eſſe oſſa furciferi ad inferos damnati? ita habetur in vita S. Martini apud Seuerum. Hinc prudenter Tridentinum, ſeſſ. 25. titulo de inuocatione, veneratione, & Reliquijs Sanctorum, informationem Reliquiarum ſedulo faciendam ad Epiſcopos tranſmittit.

Ad hoc vltimum inſtare poteſt aduerſarius cur potius Reliquiæ Lazari & Magdal. quæ creduntur in Græcia, ſint vmbraticæ & ſuppoſititiæ, quàm eæ quæ coluntur in Prouincia

aut cur potius iſtæ ſint veræ quàm illæ cui inſtá.iæ p æ et rationes & authoritates Scriptorum cuiuſque ſæculi ſupra allatas, ſatisfieri cenſeo, ſi dicamus noſtram hanc hiſtoriam veritati magis eſſe conformem. Etenim cur Lazarus Citij, Magdalena Epheſi; & Martha Ieroſolymis obijſſe dicantur? nunquid inter fratres & ſorores, vt plurimùm accidit indiſtantia in vita & morte, nunquid probabilius eſt eandem regionem fuiſſe tumulum ijs quibus eadem fuere cunæ? hanc eãdem rationem paulò latiùs vrgeo ſupra ratione vlt. §.5.

Tertia ratio fundatur in authoritate quorumdam Scriptorum ex Latinis, qui videntur indicare Lazarum obijſſe in Cypro, & primò pag. 52. Honorij Auguſtodunenſis Eccleſię Præsbyteri, circa annum 1120. qui ſerm. in Ramis Palmarum ita habet: *Phariſæi decreuerunt vt Lazarus interficeretur, ſed Deo de illo melius diſponente, ad vtilitatem Eccleſiæ reſeruatur: nam fertur quòd poſtmodum 30. annis in Cypro Eccleſiæ Epiſcopus præfuerit.* Sed eſto quòd Honorius hunc ſermonem ediderit, de quo tamen dubitant nonnulli, immò eum à veterum Patrum Bibliotheca expungunt. Eſto quòd Lazarus fuerit Citij Epiſcopus, quod libenter faſſus ſum §.2. licet dicat Honorius *fertur*, non tamen ſequitur ibidem obijſſe, nec alibi Epiſcopale munus exercuiſſe: licet enim ſit ma-

trimonium ſit inter Epiſcopum & illius Eccleſiam; tamen illud coniugium non eſt ita indiſſolubile, vt non liceat viuente vxore ad ſecundas nuptias tranſvolare, exemplo Petri Sedem Antiochia Romam transferentis, & aliorum, apud Auctores qui agunt de Dionyſio priùs Athenarum Epiſcopo, poſtmodum Pariſiorum. Potuit enim Lazarus aliquantiſper, immo & per 30. annos manſiſſe Citij, & poſtmodum regreſſum fuiſſe Ieruſalem, & vnà cum ſororibus ſuis veniſſe poſtea in Prouinciam, cùm ſuppoſuerimus ſupra, hunc appulſum in Prouinciam non fuiſſe niſi 30. annis poſt mortem Chriſti, nempè poſt mortem Iacobi minoris, à cuius morte ad Chriſti mortem numerantur verè anni 30. cùm ex melioris notæ Auctoribus Chriſtus paſſus ſit anno ætatis ſuæ 32. & tribus menſibus tantum, & Iacobus Martyrio coronatus anno Chriſti 62. & ſic vera inter vtriuſque mortem eſt diſtantia annorum 30.

Et ex iis patet reſponſio ad aliam authoritatem, quam affert aduerſarius eadem pag. 82. deductam ex proſa Diuini Officij, quæ cantatur in Eccleſia S. Lazari tum Pariſienſis tum Bellouacenſis, quæ ita habet: *Suſcitatur Lazarus tumulo vinctus*, &c. *diſcedit Lazarus, deſerit patriam, mare tranſijt, timens ſæuitiam Iudæorum, deuenit ocyùs in Cyprum inſulam, flos San-*

ctorum, Præſulatu ſublimatus, mundo venit, Deo gratus, tandem per Martyrium eſt à Deo coronatus, & in Cælo collocatus ordine Cæleſtium. Patet inquam reſponſio, dicendo Lazarum verè fuiſſe Epiſcopum Citij in Cypro, non tamen ſequi ibidem obijſſe, cùm hoc non expreſſe dicat Proſa: & licet dixiſſet, iuxta opinionem Græcorum loquuta fuiſſet, quanquam, vt verum fatear, nullum nobis infertur præiudicium, ſi dicamus Honorium Auguſtodunenſem, & huiuſmodi Proſarum Auctores, vtpote à noſtra Prouincia valdè diſſitos, ignoraſſe noſtras traditiones, quarum ſi notitiam habuiſſent, iuxta ſenſum Latinorum & non Græcorum loquuti fuiſſent.

Adducit præterea aduerſarius pag. 53. teſtimonium Villamontij, qui lib. 2. Peregrinationum cap. 7. ait vidiſſe Citij in Cypro vetuſtiſſima Templa in honorem Sancti Lazari Citienſis Epiſcopi ædificata: ſed ſicut hominis plebæi protuliſſe authoritatem me pudet, ita pigeret eum refellere, cùm nihil probet.

Denique opponi poteſt teſtimonium Flodoardi Rhemenſis Præsbyteri, circa annum 950. lib. 1. de triumphis Sanctorum Palæſtinæ, cap. 27. ex quo habetur, ſepulchrum Lazari videri adhuc in Palæſtina.

Hic prope Bethaniam tibi Lazare ſancte ſepulchrum,

Sed hoc intelligitur de primo illius ſepulchro, è quo iuſſu Domini poſt diem quartam ſurrexit, & de eius domo, in Eccleſiam erecta, vt indicant verba eiuſdem Auctoris ſequentia.

Vnde quaterno poſtquam te Sole retentat,
Hæc domus Eccleſia eſt tua ſororumque tuarum.

§ 10. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra Sanctam Magdalenam Maſſilienſem & Aquenſem.*

ARgumenta quæ aduerſarius pag. 54. & ſequ. contra Magdalenam Maſſilienſem opponit, licet ſint multa, ſunt tamen eiuſdem generis, deducta à quibuſdam Auctoribus tum Græcis, tum Latinis, qui dicunt Magd. Epheſi obijſſe; proindeque vna aut altera reſponſione his omnibus ſatisfaciemus, dicendo videlicet.

Primò exiſtimaſſe Græcos duas eſſe Magdalenas Euangelicas, vnam Epheſi obiiſſe, & aliam alibi, quod & aduerſarius ipſe pag. 65. cogitur fateri, dum ait. *Notandum eſt nomine Mariæ Mariam Magdalenam non intelligi, ſed aliam mulierem, iuxta ſententiam veterum Patrum, qui Magdalenam Lazari ſororem non fecerunt, à Peccatrice diſtinxerunt, adeoque plures mulieres in Euangelijs intelligendas ſtatuerunt: qua de re videndus Eſtius in doctiſsima oratione quam de Mag-*

dalena, illiusque à Peccatrice diſcrimine, habet, & ſic illorum argumenta nihil facere contra nos.

Secundò, ſi vnica ſit tantum Magdalena Euangelica, vt volunt Latini, vt notat Baron. in Martyrol. quod pluribus probat in Annalibus. Et nos breuiter ſupra in fine ſæculi 7. ex teſtimonio Theodoſij Arch. Arelaten. ex eo quòd hæc Magdalena fuerit aliquando Epheſi, comitando B. Virginem, vnà cum Ioanne Epheſum proficiſcentem, vt ex Patribus Concilij Epheſini, & ex epiſtolis Ignatij ad Virginem Mariam & Ioannem, & alijs authoritatibus ſupra §. 2. probauimus, occaſionem ſumpſere Epheſini, aut credendi ibi mortuam (cùm illis non conſtaret de alio loco illius obitus) aut erigendi in illius honorem quędã monumenta, ex quibus illorum poſteri commenti ſunt ibi eſſe mortuam, vt pluribus probaui paulò ſupra, cùm de Lazaro, ex quibus duabus reſponſionibus ſoluuntur argumenta ſequentia. Primum deductum ab authoritate Modeſti Ieroſolimorum Epiſcopi, qui oratione de Vnguentiferis Virginibus, ante annos 1000. edita apud Photium, ita habet. *Hiſtoriæ tradunt Magdalenã, de qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, hanc Virginem fuiſſe, & Martyrium huius memoratur, vbi dicitur, propter ſummam illius virginitatem, & puritatem, illam tanquam vitrum purum tortoribus viſam fuiſſe: poſt dormi-*

Ad 22 Iul.

tionem ſanctiſsimæ Dominæ noſtræ Deiparæ, profe-ctа eſt Epheſum, ad dilectum Diſcipulum, vbi cur-ſum Apoſtolicum per Martyrium vnguentifera Ma-ria perfecit, nolens ad extremum vſque ſpiritum ab Ioanne Euāgeliſta & Virgine ſeparari. Sed quid ad hæc? abſitne Modeſtum furfureum Auctorem, & Photium Schiſmaticum eſſe dicamus, vt forſan dicturos nos, cum Gueſnæo, indicat aduerſarius pag. 56. quin potius, ſummas, quas poſſumus, agimus gratias vtrique Auctori: immò & aduerſario, qui nobis ingenuè, & forſan incautè, Græcorum ſenſum palam exponunt. Sanè ſi hæc Magdalena Epheſi ſepulta, ſit Virgo & Martyr, certè non eſt noſtra, quam nec vt Virginem nec Martyrem colit Eccleſia. Hinc manifeſtè apparet exiſtimaſſe Græcos, ſicuti etiam de facto nunc quoque ſentiunt (vt conſtat ex litteris R. P. Ioannis Eſtiot Societatis Ieſu, ad P. Gueſn. pag. 65. Romæ miſſis) duas eſſe Magdalenas: vnam è qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit, eſſeque illam Peccatricem, quæ prima Dominum reſurgentem videre meruit: & aliam, ſororem Lazari & Marthæ. Primam Epheſi obijſſe, locum alterius neſcijſſe, aut de eo tacuiſſe.

Et ex his patet reſponſio, ad ſecundum argumentum, deductum pag. 58. ex magnis Menæis, ex Sinaxario, ex Anthologio ſiue Breuiario Græcorum, vbi dicitur in officio B.

Magdalenæ die 22. Iulij. *Quæ cum ad Chriſtum acceſſiſſet, ſequuta eſt eum: hæc orta erat ex Magdalis finibus Syriæ, à 7. Dæmonibus turbata. Poſt diuinam igitur & ſanctam Aſcenſionem, dum Epheſi cum B. Ioanne Theologo & Apoſtolo verſaretur, ibi ſanctè obdormiuit, & in ingreſſu Spelæi collocata eſt, in quo Sancti & Beati ſeptem Pueri quieſcunt. Poſtea verò cùm Leo fælicibus auſpicijs imperaſſet, illius allatum inde corpus, in eodem, cum S. Lazari Reliquiis Templo quod Imperator ædificauerat, repoſitum eſt, vbi quotannis feſtiuitas illius celebratur.* Itemque ex hiſtorijs Georgij Cedreni, Ioannis Curopalatæ, & Ioannis Zonaræ, qui fere eadem dicunt de Leone Imperatore, circa ann. 886. Reliquias Lazari, & Magdalenæ Cōſtantinopolim deferente. Verùm dico hos omnes vtpote Græcos, immò & nuperos, à 500. aut 600. annis ad ſummum, iuxta ſuarum traditionum, ne dicam fabularum, ſenſum loqui, exiſtimantes duas eſſe Magdalenas etiam Euangelicas, vt paulò ſupra inſinuaui. An autem probabilis ſit illorum opinio, aut illa Latinorum verior, noſtri non eſt diſputare inſtituti. Verùm quidem eſt, quod iſtorum Auctorum nonnulli aſſerunt, hanc Magdalenam Epheſi ſepultam, ſororem eſſe Lazari; ſed quomodo, & à quibus, neoterici iſti Auctores hæc acceperint, cùm illis antiquiores nihil dixerint, immò contrarium inſinuauerint, vt

conſtat ex ſupradicta oratione Modeſti, & authoritate Photij? Ex nominis identitate facilè fuit vni tribuere quod alteri concedendum erat. Et ſanè probabiliſſimum iudico, Magdalenam iſtam Epheſinam (ſi verum ſit aliquam Magdalenam fuiſſe Epheſi) non fuiſſe illam de qua fit mentio in Euangelio, ſed aliam quamdam fœminam eodem nomine vocitatam: ex cuius nominis identitate occaſionem habuere Græci, vtpote fabularum inuentores, & vaniloqui (vt ex teſtimonijs ſcriptorum paulò ſupra inſinuaui, cùm de Lazaro) illi attribuere illa omnia quæ veræ Magdalenæ Euangelicæ competebant. Vnde res eſt non leui admiratione ſuſpicienda, quòd eodem ferè tempore, quo Græci fabulantur ſe habere Reliquias Lazari & Magdalenæ, eaſque transferri Conſtantinopolim, nempe tempore Leonis Imperatoris, anno 886. Latini vero ex altera parte teſtantur ſe habere veras Reliquias S. Lazari & Magdalenæ: illius circa annum 980. in tranſlatione eius ad ciuitatem Heduenſem, iſtius vero 849. in tranſlatione credita Beatæ Magdalenæ ad Monaſterium Vezeliacenſe, & anno 896. in occultatione Reliquiarum eiuſdem, quod exiſtimo ſane non caſu accidiſſe, ſed ductu Diuinæ prouidentiæ, vt poſſint pro eadem re ſe tueri Latini aduerſus Græcos ſynchronicis teſtimonijs: niſi velimus

dicere

dicere teſtimonia Latina præ antiquitate longe præſtare Græcis, quæ cum non aliunde petantur quàm ex authoritate Cedreni, Zonaræ, & Curopalatæ, tantùm ad ſæculum XII. aut XI. ſunt referenda, Autographum vero Latinum occultationis Reliquiarum B. Magdalenæ ſæculo IX. eſt adſcribendum.

Sed dices, quomodo potuerint Græci errare in vera cognitione vnius ita celeberrimæ perſonæ, qualis erat Magdalena, aut eam multiplicando, aut vni tribuendo quod alteri conueniebat? Certe cum & circa perſonas longe nobiliores, & in republica Chriſtiana curioſiùs obſeruandas, putà Petrum, Mariam, & Ieſum, non leues apud quoſdam etiam grauiſſimos Auctores irrepſerint errores, quidni & circa Magdalenam? Enimvero ſcribunt Euſebius, Hieronymus, & alij multi, Petrum paſſum eſſe Romæ ann. 37. poſt mortem Chriſti, & ſediſſe Romæ annis 25. quem tamen omnes alij doctiores Hiſtorici aſſerunt paſſum eſſe anno 35. tantùm poſt mortem Chriſti, & ſediſſe Romæ tantùm annis 24. Item tradit Euſebius, & infiniti alij, & eſt communis opinio, obijſſe B. Virginem circa annum Chriſti 48. ac proinde ætatis ſuæ 63. nihilominus certius eſt eius mortem contigiſſe anno Chriſti 57. & ætatis ſuæ 72. Denique de Chriſto mirum eſt, quàm ſint variæ Patrum ſententiæ,

K

circa rem illius magis obſeruandam, videlicet tempus vitæ & mortis. Clemens, Tertull. & alij multi veteres Patres, aſſerunt illum vixiſſe annis 29. vel 30. Irenæus annis 45. communis opinio annis 33. Sed verior annis 32. tribus menſibus & diebus nouem. De die verò illius obitus & Paſſionis, ita inualuit vetus illa opinio, paſſum eſſe Chriſtum die 25. Martij, vt piaculum eſſet velle contra ſentire: & tamen apud peritiſſimos omnes, certiſſimum eſt pàſſum eſſe Chriſtum feria 6. die 3. Aprilis, anno Æræ Chriſtianæ 43. currente. Quidni ergo & circa Magdalenam minori curioſitate (quàm Petrus, Maria, & Ieſus) obſeruandam, potuerint Græci errare?

Tertium argumentum pag. 55. & 61. deducitur ex authoritatibus quorumdam Scriptorum ex Latinis, qui ita videntur ſentire. Primò, Gregorius Turon. qui ſic ait: *In Epheſo habetur locus in quo hic Apoſtolus* (Ioannes) *Euangelium quod ex eius nomine in Eccleſia legitur, ſcripſit.* Et poſt pauca: *In ea vrbe Maria Magdalena quieſcit, nullum ſuper ſe tegmen habens, in ea ſeptem dormientes habentur.* Secundò, auctor vitæ S. Vuilibaldi Aichladiani Epiſcopi, exponendo piam iſtius Sancti ad loca ſancta peregrinationem, circa annum 745. eadem refert vidiſſe S. Vuilibaldum Epheſi, quæ ſupra retulit Gregoius Turonenſis. Tertiò, quoddam

r. 1. *Mir.* 30.

vetus Martyrologium M S. Abbatiæ Monialium S. Laurentij Bituricenſis, quod ad 11. Kal. Aug. ita habet, *apud Epheſum S. Mariæ Magdalenæ.* Quartò, Richardus Vaſſeburgius, lib. 2. antiquitatum Galliæ Belgicæ, piam deſcribens ad loca ſancta profectionem Magdaluci Virodunenſis Epiſcopi, aſſerit eumdem Epiſcopum vidiſſe Epheſi ea quæ ſupra recenſet Gregorius Turonẽſis, & à Præsbyteris obtinuiſſe duos Magdalenæ dentes, cum aliqua capillorum portione, & eumdem in ſede ſua reuerſum, ædem B. Magdalenæ ſacram ædificaſſe, in eaque Reliquias quas attulerat collocaſſe. Verùm, quomodo Auctores referentes ſenſum Græcorum loqui poterant niſi conformiter ad ſenſa eorum? Et quia fundamentum Græcorum veritate non fulcitur, huiuſmodi quoque relationes in eo tantùm ſunt veræ, in quo conſtat à Græcis eſſe prolatas, cùm aliunde verum ſit, poſito falſo fundamento, deſtrui cætera quæ illi innituntur. Adde quòd iſti Auctores in locis à nobis valdè diſſitis degentes, ignorauerint forſan traditiones noſtras; quas ſi ſciuiſſent, aliter, vel cum diſtinctione, vel cum dubitatione, loquuti fuiſſent, vt conſtat ex Magdaluci Epiſcopi colloquio cum Præsbyteris Epheſinis, de Magdalena Vezeliacenſi, ex oppido Aquenſi adducta, quod inſinuat aduerſarius pag. 61.

Quartum argumentum pag. 60. petitur ab authoritate Baldrici Epiſcopi Nouionenſis lib. 2. chronicorum cap 43. qui loquens de venerabili viro Baidilone, ita dicit: *Qui Baidilo corpus S. Mariæ Magdalenæ de Ieruſalem in Burgundiam in loco Verſeliaco attuliſſe dicitur*: viuebat autem Baldricus anno 1112. Sed quàm futile ſit argumentum, patet. Primò, quòd reliqui omnes cenſent hoc corpus Magdalenæ Epheſi fuiſſe, & tranſlatum Conſtantinopolim. Hic autem ſolus Baldricus ait attuliſſe de Ieruſalem. Secundò, quomodo ſimplex Monachus, vt erat iſte Baidilo, tātæ fuerit authoritatis, (vt fatetur aduerſarius) vt à Græcis Magdalenæ corpus obtinuerit? Tertiò, iſtum Baldricū falſitate, aut ignorantia, ſeu potius inaduertentia conuincimus, ex alio ipſi quaſi coætaneo teſte, qui aſſerit hunc Baidilonem Monachum Vezeliacenſem, ab Abbate Eudone & Comite Gerardo fuiſſe directum ad perquirendas Reliquias, & attuliſſe corpus B. Mariæ Magdalenæ ab vrbe Aquenſi ad Monaſterium Vezeliacenſe. *Ita Vincentius Bellonacenſis, in Spec. Hiſt. lib. 23. cap. 152.*

Quod autem ſubdit aduerſarius ead. pag. 60. *incertum adhuc eſſe Magdalenæ Maſſilienſis rumorem, quo tempore Rex ſanctiſſimus* (S. Ludouicus) *ab expeditione terræ ſanctæ in Galliam reuerteretur, hoc eſt ad annum* 1254. non indiget

lia reſponſione quàm ſimplici negatione, cùm
 illius vita à Ionuillæo edita cap. 80. habea-
ur quòd ipſe pijſſimus Rex viſitauerit San-
tam Balmam, aut Balmam ſolùm, vt vult
duerſarius, in qua B. Magdalena egit pœni-
entiam: manifeſtum ergo eſt hunc rumorem
on fuiſſe tunc incertum, ſed antiquiſſima
raditione certiſſimum, quanquam ſanctum
llius corpus non fuiſſet à Carolo II. Siciliæ
Rege adhuc inuentum.

Quod verò denique ſubiungit aduerſarius
ag. 57. de Flodoardo Rhemenſi Præsbytero,
uòd deſcribendo triumphos Sanctorum Gal-
æ non meminerit Magdalenæ, nec aliorum,
enequidem in triumphis Sanctorum Palæ-
inæ, cap. 27. his verbis:

Hic prope Bethaniam tibi Lazare ſancte ſe-
pulchrum,
Vnde quaterno poſtquam te Sole retentat,
Hac domus Eccleſia eſt tua, ſororumque tuarum,

Quod inquam ſubiungit de iſto Flodoardo,
ix meretur reſponſionem. Non enim recéſet
os inter Sanctos Galliæ, quia iam illorum me-
ninerat in triumpho Sanctorum Palæſtinæ: &
e eis hic loquitur, quia deſcribit loca ſancta,
n quibus Chriſtus egit miracula. Nec enim
ſſerit illos ibi in Palæſtina obijſſe, ſed tantùm
hriſtum ibi varia edidiſſe miracula, qualia
rāt cõuerſio Magdalenæ, & ſuſcitatio Lazari.

nibus ſcriptorum quoad Magdalenam Epheſinam, manifeſtè cõcluditur falſitas huius opinionis. Menologia *Græcorum* dicunt illam, *dum Epheſi verſaretur cum S. Ioanne Theologo & Apoſtolo ibi ſanctè obdormiiſſe.* Id eſt, vt explicant nonnulli, placidè & quietè vitam finiiſſe; quæ verba vtcumque ſunt contraria his quæ habent Modeſtus & Photius, qui faciunt illam Virginem, Martyrem, tortoribus traditam, & mortuam tempore perſecutionis. Quædam Menologia *Græcorum* volunt mortuam eſſe Epheſi: & multa Martyrologia Latinorum, quæ pro ſe allegat aduerſarius, dicunt eam vnà cum Martha Ieroſolimis obiiſſe. Cedrenus vult Magdalenæ corpus Epheſo tranſlatum fuiſſe Cõſtantinopolim, tempore Leonis Imp. Zonaras verò è Cypro eductam cenſet. Et de *M*agdalena Vezeliacenſi, quidam volunt Conſtantinopoli eductam Vezeliacum à Baidilone: at Baldricus de Ieruſalem. Et hic obiter notanda eſt manifeſta contradictio. Vult enim aduerſarius corpus B. *M*agdalenæ in *B*urgundiam tranſlatum (ſiue Conſtantinopoli, ſiue Ieroſolimis, perinde nunc eſt) à Baidilone nempe an. 849. & poſtea dicit idem corpus an. 886. à Leone Imperatore Epheſo tranſlatum Conſtantinopolim. Quomodo idem corpus, quod anno 849. eſt in Burgundia, potue-

e Cypro triginta ſeptem annis poſt, nempe a. 886. tranſferri Conſtantinopolim? Nunquid in tot contradictionibus conſiſtere poteſt veritas? Et an illud cuilibet ex his Auctoribus contraria ſentientibus dicere poſſumus, quod Daniel ſeniori illi. Da

§. II *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra S. Martham Taraſconenſem.*

QVæ contra S. Martham Taraſconenſem proponuntur argumenta, licet prima fronte videantur cuiuſdam ponderis, tamen ſola relatione euaneſcunt. Tredecim teſtimonia ex diuerſis Eccleſiarum Galliæ Martyrologijs, & Calendarijs, eadem ferè verba habentibus pag. 64. & 65. producit aduerſarius, in quibus Marthæ natale Ieroſolimis celebrari dicitur: *Ad* 14. *Calend. Februar.* Hieroſolima, *aut Hieroſolimis, Marthæ & Mariæ ſororũ Lazari*: & in quibuſdam eſt, *natale*, in alijs, *natiuitas Marthæ & Mariæ ſororum Lazari.* Sedquid inde? ergo Martha Ierololimis obijt, & ibi ſepulta eſt? Si ita argumentandum ſit, ergo Maria Magdalena ſoror Marthæ, & Lazari, Ieroſolymis (& non Epheſi) obijt, & ſepulta eſt; & ſic eodem telo quò nos aduerſarius vult impetere, ſeipſum confodit: cùm vtriuſque natiuitas Marthę & Mariæ ead. die ibi celebretur.

Sed ad rem dico non eſſe hunc diem natalem obitus Marthæ & Mariæ, ſed diem dedicationis in Eccleſiam earum domus in Bethania. Solebant enim Apoſtoli loca illa, in quibus Chriſtus miracula quædam fecerat, aut quæ ad illius, vel Beatiſſimæ Virginis vſum, inſeruierant, in templa decernere, & ibi ſacra celebrare; vt conſtat de Cœnaculo in monte Sion, & domo B. Virginis à Nazareth, nunc Lauretana dicta, & de aliis locis, ab Apoſtolis in templa dedicatis. Et quia Chriſtus ſolebat vt plurimum in Bethania hoſpitari, & ibi Lazarum ſuſcitarit, ideo domus illa Marthæ & Mariæ, fuit in Eccleſiam dedicata, & conſecrata, vt conſtat ex verbis Hegeſippi ann. 167. apud Bergomenſem in ſupplemento Chronicorum: *poſt Domini Aſcenſionem* (inquit) *domo eius* (Magdalenæ) *in Eccleſiam conſecrata*, idque expreſſiùs habet Flodoardus §. 9. & 10. citatus.

Hic prope Bethaniam, tibi Lazare Sancte ſepulchrum, &c.

Hac domus Eccleſia eſt tua, ſororumque tuarum.

Et adhuc magis luculentius Martyrologium vetus MS. Eccleſiæ Aquenſis ſupracitatum, *Ad 16. Calend. Ianuarij B. Lazari quem Dominus Ieſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis.* Item *B. Marthæ ſororis eius, quorum memoriam venerabilem extructa Eccleſia non longe à Bethania,*

iè vicino domus eorum fuit, conſeruat. Quæ ea-
m verba ex libello Adonis de feſtiuitatibus
poſtolorum deducta ſunt, ac proinde his
es 14. Cal. Febr. eſt dies dedicationis domus
larthæ & Mariæ, non vero dies obitus ea-
m, cùm non obierint eadem die. Quinetiam
in menæis & Antilogiis Græcorum, & in
Martyrologiis & Breuiariis Latinorum, di-
rſi exitus Marthę, Mariæ & Lazari, aſsignan-
r dies, videlicet Marthæ 29. Iul. Mariæ 22.
ılii, & Lazari 17. Decembris.

Verùm antequam finiam, obiter noto quàm
iniuſtus aduerſarii genius, cùm ſibi omnia
ceteris nihil licere exiſtimet: ipſe enim præ-
idens dicturos nos hoc argumentum, *Ieroſoly-
is natale Marthæ & Mariæ ſororum Lazari*,
fficere ſibi, qui exiſtimat Magdalenam
phesi obiiſſe, ait pag. 65. *Notandum eſt no-
ine Mariæ Mariam Magdalenam non intelligi,
d aliam mulierem, iuxta ſententiam veterum Pa-
um, qui Magdalenam Lazari ſororem non fece-
int*, &c. proindeque hac diſtinctione telum
ı eum vibratum declinare prætendit (licet
erperam, quia quædam ex prædictis Martyro-
logiis expreſsis verbis deſignant hanc Ma-
iam eſſe ſororem Lazari) Rurſus verò cùm
uiuſmodi Patrum diſtinctione de duplici
Magdalena, ad euitandam Ephesi noſtræ Mag-
dalenæ mortem, vti velimus, eam admittere

renuit, & inuitè reiicit: eiuſdemque genij eſt in referendis pro ſe Græcorum menologiis & Breuiariis. Recentiora enim Græcorum, immò & nuperrima de anno 1598. admittit: noſtra vero niſi ante ann. 600 aut 500. fuerint edita, reſpuit, & reiicit. Sed qui omnia ſibi, & aliis nihil concedit, nemini placet, & vt illum auerſentur omnes, meretur.

§. 12. Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra Marias Iacobi & Salomes Arelatenſes.

ARgumenta quæ contra vtramqne Mariam Salomes & Iacobi opponi poſſunt, in duplici ſunt differentia. Quædam ſunt negatiua, quædam poſitiua. Prioris generis vnicum eſt, dicendo videlicet paucos eſſe Auctores, qui harum meminerint, & dixerint eſſe in Prouincia. Sed quàm leue ſit iſtud argumentum, cuilibet etiam leuiter erudito apertè conſtat, cùm etiam & de omnibus alijs Sanctis, vix Auctores qui expendunt Magdalenæ in Prouinciam appulſum, ſermonem faciant. Enimverò MS. Codex Senecenſis ſæculo X. citatus, verbi gratia, ſolùm Magdalenam & Maximinum recenſet: de Lazaro autem & Martha, nihil penitùs dixit, quos tamen fuiſſe comites huius peregrinationis ne-

Digitized by Google

bi ſentiendum eſt, quas inter plures comites, quos omnes hiſtorici concedunt Magdalenæ, refert noſtra traditio. Quamquam non deſint hiſtorici qui de illis mentionem fecerint, vt acta Renati Regis, Durandus, Geruaſius, & alij ſæculis ſuperioribus citati, præter Breuiaria & Martyrologia omnium fere Eccleſiarum vtriuſque Narbonenſis Prouinciæ.

Poſterioris generis vnicum profert aduerſarius pag. 25. deductum ex Martyrologio Romano Baronij, vbi habetur 22. Octobris: *Hieroſolymis S. Mariæ Salomes, quæ in Euangelio legitur circa Domini ſepulchrum ſollicita*: & ad 25. Maij, *Verulis in Hernicis, tranſlatio S. Mariæ Iacobi, cuius ſacrum corpus plurimis miraculis illuſtratur.* Sed ad hæc, dicamus erraſſe Baron. & alios, aſſignando in Ieroſolima locum ſepulturæ Mariæ Salomes? Certe ſi ita dicerem, Baronius ipſe non conquereretur, cùm in epiſtola ad pium & veritatis ſtudioſum Lectorem, initio Martyrologij poſita, dicat: *aliqui interdum à veritate aberrarunt: homines enim ſumus omnes: nec nobis ipſis tantum tribuimus. vt nuſquam putemus offendiſſe.*

Nihilominus modeſtiùs loquar, dicendo primò non fuiſſe forſam iſtas Marias matres SS. Ioannis & Iacobi Apoſtolorum, ſed quaſdam alias mulieres cognomines, quod fateri

videtur aduerſarius pag. 26. cum iſtas mulieres dicat eſſe Virgines, his verbis: *Itaque cùm priſcæ traditioni ſtandum ſit, duæ illæ Virgines non in Prouincia, ſed in memoratis à Baronio locis, quieſcunt.* Et certè nec in verbis Martyrologij, nec in annotationibus Baronij, colligitur eas fuiſſe matres SS. Ioannis & Iacobi, ſed quaſdam alias cognomines. Secundò, eſto ſint eædem, ex ignorato loco veri obitus Mariæ Salomes, recurriſſe Auctores ad locum natiuitatis temporalis, aut habitationis illius quæ erat Ieruſalem. Quod ſi ad Baronium & alios perueniſſet noſtra traditio, pluribus & diuerſis teſtimonijs roborata, ſine dubio aliter ſenſiſſent. Et ſanè vel augeri, vel minui, vel mutari in dies martyrologia, nemo eſt parum in hiſtorijs Eccleſiaſticis verſatus, qui neſciat, immò *B*aronius ipſe ſemel atque iterum, vt fatetur in præcapitulationibus martyrologij, quædam mutauit, & ea fuit ſemper in iſtis aut ſcribendi libertas, aut veræ Sanctorum hiſtoriæ ignorantia, *vt quot eſſent Eccleſiæ, totidem fere haberentur Romani Martyrologij exemplaria, eadéque inter ſe diuerſa. Nam quid ſatis ſit in exemplum adduxiſſe, Eccleſia Principis Apoſtolorum in Vaticano, diuerſo à cæteris vrbis Eccleſijs vtebatur* M*artyrologio.* Ita loquitur Baronius, loc. citat. cap. 8. Neque dicas Martyrologium Romanum à ſummis approbatum eſſe Pontificibus,

os conſtat errare non poſſe. nam licet in re-
s Fidei & morum illis non contingat error,
rebus tamen facti aliter ſentiendum eſt, vt
ocent Theologi, & aduerſarius ipſe in re fi-
li fatetur pag. 15. *Cæterum* (inquit) *aliud eſt*
ntifices Breuiariorū (idipſum de martyrologijs
atiendum) *editionem ratam habere, quæ quo-*
ndam hominum cura comparatur, aliud definire
omnia quæ his in Breuiarijs loquuntur hiſtoricæ
ritati penitùs conſentire. At iſta duo quæ toto cæ-
differunt aduerſarius noſter pro ſui iudicij acri-
mia confundit, & quidquid Pontifices authori-
tis habent in examinandis huiuſmodi libris, ſum-
um in diſcrimen adducit. Neque verò cum Ponti-
ibus agendum ita mihi videtur, qui centum ab
nc annis omni opere atque diligentia tentarunt vt
cleſiaſtici Officij codices identidem emendarentur,
hilque in ijs quod verum non eſſet retineretur Sic
e, qui licet in multis quæ ſunt facti, à veri-
te aberret, in iſtis verò quæ ſunt dogmatis,
eraciter loquitur.

Et ex ijs patet reſponſio ad id quod dicitur
e Maria Verulana, quam (ſi ſit vera mater
ancti Iacobi Apoſtoli, de quo paulo ſupra
ubitaui) feciſſet *B*aronius Arelatenſem, ſi ad
um Eccleſiæ Arelatenſis acta perueniſſent,
: in ſimili reſpondit aliàs ipſemet *B*aronius
uidam Eccleſiaſtico Maſſilienſi, ab eo peten-
, vtrum de S. Lazaro & de eius martyrio

multa ſcirpſiſſet, *apud Emman. Pachier Canonic. Theologum Maſsilionſem in vita S. Lazari*, *cap* 13. quanquam Eccleſiæ Verulanæ & Piſtorienſis M S. quæ de hac re in annotationibus dixit ſe vidiſſe conſentientia *Baronius*, nobis copiam feciſſet, forſitã in his vidiſſemus, quædam, quæ veritati hiſtoricæ non cõcordarent. Enimvero ſi illa acta eſſent conformia vulgari illi libro qui circumfertur, cui titulus eſt, vita trium Mariarum, ſanè miræ eſſent gerræ, nugæ, & fabulæ, vt notauit P. Sebaſtian. Michaëlis, opuſculo ſæculo ſuperiori hac de re edito, quoniam ab inerudito quodam Monacho hiſtoricæ veritatis ignaro, iudicauimus compoſitum eſſe iſtum libellum; cuius omnes errores hiſtoricos circa ea ſolum quæ ſpectãt ad Mariam Verulanam, diutius inhærendo puderet nos refellere.

Cæterùm licet Verulana ciuitas ſit in confinibus ditionis Pontificiæ (vulgò campania di Roma) & Regni Neapolitani, tamen in actis tranſlationis B. Mariarum in Prouincia ſub Rege Renato an. 1448. editæ, quæ habẽtur in Archiuijs Regijs Aquenſibus, nulla penitùs ſit mentio iſtius Mariæ Verulanæ, nec in reſcripto ſummi Põtificis Nicolai V. ad quem ex parte Regis ſupplex libellus pro exequenda hac tranſlatione directus fuerat, nec ex parte Renati Siciliæ Regis, aut vllius ex eius aulicis

equaeibus, inter quos ſine dubio non dee-
t aliqui Neapolitani, qui poſſent illud ſcire.
de meritò ſuſpicor, aut nondum natos eſſe
hanc Mariam Verulanam commenti ſunt,
ſaltem tunc temporis dubiæ & incertæ
ſe fidei: aut denique meliùs, iſtam Ma-
n Iacobi Verulanam non eſſe materteram
riſti, ſed quandam aliam mulierem co-
minem. Vix enim mihi perſuadeo non
ſe aliquem in tanta ſolemnitate, & coram
ge ita pijſſimo, qui dixiſſet ſe audiuiſſe ia-
: Verulis veram Mariam Iacobi; quinetiam
credo ignoraſſe ſummum Pontificem &
gem, ea quæ colebantur & credebantur in
terris eorum iuriſdictioni aut addictis aut
imis: & ſi ſciuiſſent, vix credo ſiluiſſe,
ſaltem non indicaſſe quid de vtraque Ma-
Iacobi, Verulana, & Arelatenſi, ſen-
dum eſſet.

13. *Reſpondetur argumentis ex ratione deductis.*

Vius generis argumenta quatuor oppo-
nit aduerſarius cap. 11. pag. 66. quorum
in §. 6. inter argumenta negatiua iam
oſita & ſoluta ſunt.
eſtant duo alia, quorum primum petitur

ex facto Proculi Maſſilienſis Epiſcopi in Concilio Taurinenſi, circa annum 397. Primatiam Narbonenſis ſecundæ aduerſus Patroclum Arelatenſem prætendentis. Sanè inquit aduerſarius: *Cùm Proculus ſeſe Metropolitanum gereret, & alij contra repugnarent, dubium nullum eſt, quin continuò ex Magdalenæ appulſu & Lazari authoritate ius ſuum vindicaſſet.* Et cùm hac ratione non ſe tueatur Proculus, ſequitur nondum natos eſſe qui nauim Cælites Prouinciæ deferentem fabricauerint. Profectò, vt verum fatear, hoc argumentum primo intuitu difficultate non laborare, & aliquantulum pro aduerſario concludere exiſtimaui; ſed ex lectione Concilij Taurinenſis aduerſarium ingenua fide non procedere iudicaui. Non enim Proculus ratione ſuæ Eccleſiæ Maſſilienſis: ſed ſui ergo, & ratione iuris particularis (& quia eſſet antiquiſſimus, & quia plures Eccleſias rexiſſet, & quia ferè omnes Epiſcopos illius prouinciæ ordinaſſet) Primatiam huius prouinciæ ſibi arrogare prætendebat; proindeque cùm non eſſet quæſtio de antiquitate Eccleſiarum cum alijs Epiſcopis; ſed tantùm quod nollent illi ſubiacere alicui, qui non fuiſſet illis Comprouincialis, fruſtra ſucceſſionem Lazaro Proculus allegaſſet. Sed audiamus verba Concilij. *Quùm primò omnium Vir Sanctus Proculus Maſſilienſis ciuitatis Epiſcopus, ſe tanquam Metropo-*

Metropolitanum Eccleſijs, quæ in ſecunda Prouincia Narbonenſi poſita videbantur, diceret præeſſe debere, atque per ſe ordinationes in memorata Prouincia ſummorum fieri Sacerdotum. Siquidem aſſereret, eaſdem Eccleſias, vel ſuas fuiſſe, vel Epiſcopos à ſe in iiſdem Eccleſijs ordinatos. Et è diuerſo eiuſdem regionis Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius Prouinciæ Sacerdotem præeſſe non debere contenderent (en ſtatum quæſtionis & controuerſiæ) *id iudicatum eſt à Sancta Synodo, contemplatione pacis, atque concordiæ, vt non tam ciuitati eius, quæ in altera Prouincia ſita eſt, cuius magnitudinem penitus neſciremus, quàm ipſi* (vide cuius gratia Proculo concedatur Primatia) *potiſſimum deferretur, vt tanquam pater filijs honore Primatus aſſiſteret. Dignum enim viſum eſt, vt quamuis vnitate Prouinciæ minime tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipſi tantum* (vide iterum cuius ergo) *in diebus vitæ eius forma ſeruabitur, vt in Eccleſiis Prouinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas Parrochias, vel ſuos Diſcipulos fuiſſe conſtiterit ordinatos, Primatus habeat dignitatem. Illud quoque à partibus ſit obſeruandum,* &c. *vt ipſe Proculus, tanquam pius Pater, Conſacerdotes ſuos honoret vt filios, & memoratæ Prouinciæ Sacerdotes, tanquam boni filij eumdem habeant vt parentem, & inuicem ſibi exhibeant charitatis affectum*, &c. Ita Concilium Taurinenſe cap. 1. ex quo manifeſte conſtat, quale erat intentum Proculi, diuerſum

plane à ſenſu aduerſarij, quæ Patrum intelligentia, & conceſſio?

Secundum argumentum ducitur ex eo quod *Maſſilienſis Eccleſia* (inquit aduerſarius pag. 68.) *in antiquioribus faſtis nullum colit Martyrem ante Victorem & ſocios, qui ſub Diocletiano Chriſtianam fidem ſuo ſanguine dedicarunt. At fieri quî potuit, vt à ſuſcepta religione nouem perſecutiones ſine illuſtri Martyrio effluxerint?* O egregium argumentum! quaſi verò ex eo quod non fuerint *S*criptores *M*artyrum, aut ante Victorem, non fuiſſent alij *M*artyres, ideo Lazarus & alij, à Prouincia ſint eliminandi? Sed reſpondeo primo aduerſarium falſo inniti fundamento. Colit enim Eccleſia Maſſilienſis Lazarum vt Martyrem, cuius martyrium celebratur ibi 31. Auguſti. Secundò, licet Eccleſia Maſſilienſis non memoret alios martyres, præter Lazarum, antiquiores Victore ſub Diocletiano perſecutione X. circa ann. 280. tamen quædam aliæ Eccleſiæ Prouinciæ colunt alios martyres ipſo Victore antiquiores, vt Eccleſia Cemelenenſis S. Pontium ſub Valeriano & Galieno perſecutione IX. circa ann. 260. & Eccleſia Nicienſis S. Baſſum Cemelenenſem & Nicienſem Epiſcopum, ſub Decio perſecutione VIII. circa ann. 250. vt taceam martyres Lugdunenſes, Photinum, Blandinam, & alios, ſub M. Aurelio, L. Vero, & Antonino

perſecutione V. circa ann. 160. Tertiò, licet faſti Maſſilienſes, qui extant; non referant alios antiquiores martyres præter Lazarum & Victorem: non tamen ſequitur nullos alios fuiſſe, quorum ſi non extet memoria, hoc ideò eſt, aut quia non fuere tunc Scriptores martyrum, aut quia quamplurima periere acta, in quibus reponebantur, à Diocletiano enim exiit edictum, vt omnes Chriſtianæ religionis Codices incendio damnarentur. Cuius feralis ſanctionis meminit Euſebius, Arnobius, Optatus, S. Auguſtinus, & alij apud Baron. Denique quidni potuerit ipſa religio Chriſtiana in Prouincia ob negligentiam, vel indulgentiam Præſidum, radices agere, ſenſim & latenter creſcere, augeri, & fructum facere, etiamſi martyrum ſanguine non fuerit irrigata? *In Ma... cap...*

§ 14. *De Sancto Lazaro Heduenſi, & Sancta Magdalena Vezeliacenſi.*

LAzarum Citienſem, & Magdalenam Epheſinam iam amandauimus, in quo aduerſus Græcos diſputantibus nobiſcum agere debuerunt Heduenſes, Senonenſes, & Vezeliacēſes, pro ſuis Lazaro & Magdalena vindicandis: cùm non aliundè quàm è Prouincia accepiſſe eos concedant omnes, ſvno ex-

cepto Baldrico, quem etiam ſupra aut falſi aut ignorantiæ reum conuicimus. Et ſanè Lazarum Maſſilienſem fuiſſe Epiſcopum: Magdalenam verò in horrido quodam præcelſi inter prærupta ſaxa in Prouincia montis antro pænitentiam egiſſe, nemo hactenus Latinorum inficiatus eſt: vbi verò iaceant ipſorum Lipſana, alij aliter ſentiunt. Quod nunc inquirendum eſt.

Et quidem ſacras B. Lazari corporis exuuias, è Prouincia ad Burgundiam delatas, veneranda credit & colit Heduenſis ſiue Augustodunenſis Eccleſia, & cum ea ſponſores multi, inter quos Caſſanæus Burgundus, & Prouinciæ Senatus Protopræſes, in Catalogo gloriæ mundi.

Magdalenæ verò corpus è ciuitate Aquenſi (aut potius Sammaximinenſi) ad Monaſterium Vezeliacum, tunc Ordinis S. Benedicti, nunc verò ad Sęculares Clericos tranſcriptum Diœceſis Heduenſis in Burgundia, à Gerardo Comite aut Duce Burgundiæ, anno Domini 745. vel vt alij 749. vel melius 849. tranſlatum eſſe docent, non ſolum neoterici Burgundi, ſed & multi ex antiquioribus ſcriptoribus, idem Caſſanæus loc. cit. Paradinus & Guiſius in annalibus Burgundiæ. S. Antoninus Arch. Florentin. circa an. 1450. tomo 1. tit. 14. c. 2. § 4. Petrus de Natalib. Epiſc. Equi-

linus, anno 1470. in Catalogo Sanctorum lib. 6. cap. 124. Iacobus de Voragine Epiſcopus Genuenſis anno 1290. in legēdis Sanctorum. Breuiarium Ord. FF. Prædicat. in Conuentu S. Iacobi Pariſienſi de ann. 1254 Vincentius Epiſcop. Bellouacenſis Burgundus an. 1240. in ſpeculo hiſt. lib 23. cap. 152. poſt Sigebertum ann. 1112. cuius verba hanc tranſlationem atteſtantia dedimus ſupra ſæculo XII.

His accedunt epiſtola decretalis Innoc. III. lib. 1. epiſtolar. epiſt. ad Gerardum Abbatem Vezeliacenſem, circa annum 1200. & Bullæ Pontificiæ (quas reponit aduerſarius ad calcem operis) Clement. III. dat. Piſis circa annum 1190. Vrbani III. dat. Veronæ circa annum 1186. & Lucij III. circa annum 1185. in quibus expreſſis verbis Monaſterium Vezeliacenſe vocatur Monaſterium B. Mariæ Magdalenæ, in eoque illius corpus ſanctiſſimum quieſcere, cuius gratia Abbati & Monachis eiuſdem Monaſterij plura conceduntur priuilegia, & inter alia, vt in die tranſlationis B. Mariæ Magdalenæ intra Quadrageſimam liceat illis in Miſſa cantare *Gloria in excelſis Deo.*

His ſuffragatur Martinus IV. anno 1281. qui per fratrem ſuum Ægidium nomine Archiepiſcopo & Capitulo Senonenſi, ob ſingularem venerationem, qua Clerus & populus Senonenſis Beatiſſimam Mariam Magdale-

nam coleret, miſit vnam coſtam corporis eiuſ-
dem S. Magdalenæ, quam ipſe dum primò Legatione in Gallias fungeretur, ſe accepiſſe ait, quando venerandum eius corpus apud Vezeliacum Monaſterium recognoſcens, præſente S. Ludouico Francorum Rege, an. 1265. aliorumque fidelium multitudine numeroſa, de plumbeo ſepulchro, in quo adhuc humiliter exiſtebat, in thecam argenteam, ex dono ipſius pijſſimi Regis celebri ſolemnitate tranſtulit. Concedens præterea Indulgentias 100. dierum ijs qui in die feſtiuitatis eiuſdem Sanctæ ad Eccleſiam Senonenſem accederent; 40. verò ijs qui infra cæteros feſtiuitatis dies. Auctor eſt Henricus Spondan. Apomiarum Epiſcopus, in continuatione annalium *Baronij*, ann. 1281.

Sed quid ad hæc? an totum Burgundiæ & Prouinciæ nihil? an verò Burgundiæ nihil, & Prouinciæ totum ſimus daturi? hic verò illud ad Salomonis iudicium; *Nec mihi*, *nec tibi*, *ſed diuidatur*, fratrem Burgundiæ, Prouinciæ ſororem, ad componendam litem, concedamus.

Et ſanè ſacras *B.* Lazari Maſſilienſis Epiſcopi corporis Reliquias omnes (excepto capitis cranio) è ciuitate Maſſilienſi ad Burgundiam delatas, eaſque in ciuitate Heduenſi honorificè aſſeruari & coli, Maſſilienſis ipſa

fatetur Eccleſia, *ex hiſt. Maſſilienſi nuper edita à prædicto D. Antonio de Ruffy Maſſilienſi, lib.* 10. idque pluribus probauimus ſupra ſæculo X. Ad cranium verò iſtud quod ſpectat, Sacerdotem quemdam hanc Lazari tranſlationem Reliquiarũ ſubolfacientem illud occultaſſe, & eius loco aliud ſuppoſuiſſe cõmunis & indubitata ab eo tempore fert traditio. Quod non ægrè fateri coguntur Heduenſes quotquot, qui illud proſpiciunt, cum maior ſit iſtius ad reliqua oſſa proportio quàm illius Heduenſis, magiſque à ſitu carieque præſeruatur Maſſilienſe quàm Heduenſe, quæ duo nonnullis fideiuſſorum teſtimonijs probat Hiſtoricus Maſſilienſis, loco citato.

De Magdalena verò aliter ſentiendum eſt, cùm ſenſus, & ratio hiſtorica, Magdalenam Burgundis, pace eorum dixerim, concedere vetent. Et quidem primò ſenſus, quia admiranda illa particula carnis in fronte, & in extrema decliuitate naſi, quam ſanctiſſimus Chriſti Domini dicentis, *Noli me tangere*, digitus tetigit (quæ quaſi per ſemiſſem digiti à reliquis adhærentibus eleuatur & ſupereminet in fronte, & in qua color, lentitia, mollities, & alia veræ carnis accidentia adhuc perfectiſſimè notantur) eſt indubitatæ fidei verum & omni exceptione maius teſtimonium, Sammaximinenſes Reliquias eſſe vera

& indubitata Beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ corpus & oſſa ſacratiſſima, à nemine oculato in dubiam fidem euocanda.

Senſui accedit ratio, & fides hiſtorica, ex verbo tradito & ſcripto deducta: traditione enim tenent Prouinciales, quòd cùm Gerardus Comes Burgundiæ enixe poſtularet corpus B. Magdalenæ transferri in Burgundiam, & ipſi vtpote Francorum Regis affini, & Prouinciæ Gubernatori (vt ſupra ſæculo IX. dictum eſt) non auderent illud denegare, Prouinciales ſtropham confixere, ſupponendo callide corpus B. Cidonij, primi poſt Maximinum Aquenſium Epiſcopi, loco illius *B.* Magdalenæ, retinendo caput ipſius *B.* Cidonij, & eius loco ſupponendo caput S. Suſannæ à profluuio ſanguinis à Chriſto ſanatæ, & ſic Burgundi eluſi corpus *S.* Cidonij & caput S. Suſannæ, exiſtimantes eſſe illud B. Magdalenæ, ad Monaſterium Vezeliacenſe tranſtulere.

Traditioni ſuffragatur ſcriptura: cùm enim 47. annis poſt prædictam tranſlationem corporis S. Cidonij à Burgundis factam, vellent Prouinciales occultare Reliquias B. Magdalenæ, nempe anno 896. propter metum Saracenorum, dicitur quòd amoto corpore Cidonij ab illius ſepulchro, ſecretius & ſecurius eſt ibi recondere B Mag-

dalenæ corpus : ait enim cartellus ille, de quo ſupra ſæculo VIII. *Anno*, &c. *regnante Odoino* &c. *tranſlatum fuit hoc corpus Mariæ Magdalenæ de ſepulchro ſuo alabaſtri in marmoreum, ex metu gentis perfidæ Saracenorum, & quia ſecretius eſt hic amoto corpore Cidonij.* Iſtud autem *amotum*, ſignificat aliò traductum. Vnde cùm tempus occultationis Reliquiarum, nempe annus 896. ſit ita proximum tempori tranſlationis in Burgundiam, quæ contigit anno 849. & non ſit inter illa niſi differentia 47. annorum, manifeſtè conſtat non potuiſſe Prouinciales ignorare quæ circa iſtam tranſlationem facta fuiſſent. Et cùm in hac occultatione ſignificent amotum eſſe corpus Cidonij, & habere adhuc corpus B. Magdalenæ, ſequitur infallibiliter ex verbo ſcripto, habere Burgundos corpus S. Cidonij, & illud B. Mariæ Magdalenæ adhuc eſſe in Prouincia. Videantur dicta ſæculis IX. & VIII.

Neque dicatur quòd Religioſi S. Dominici iniecerint clanculum ſupradictam ſchedulam in ſepulchro B. Magdalenæ, & ſic illuſiſſe Regem & Prælatos tempore inuentionis ipſarum Reliquiarum, anno 1279. quia tunc Eccleſia Sammaximinenſis non erat ſub cura Fratrum Prædicatorum, ſed adhuc Monachorum Sancti Victoris Maſſilienſis ſollicitudini erat addicta. Deinde nonne tot & tan-

ti oculati teſtes, quales erant Rex, & eius aulici, itemque Prælati Prouinciæ, ex inſpectione chartę, attramenti, & ex modo ſcribẽdi, ſtropham deprehendiſſent? & ſi ſe illuſos cognouiſſent, cur ſignis ſuis & ſigillis huius ſchedulę antiquitatem & veritatem conſignaſſent?

Et ex his patet reſponſio ad ſupradictas authoritates Scriptorum, aſſerentium Magdalenam Vezeliacum eſſe traductam, dicendo illos Auctores, vno aut altero excepto, antiquiores eſſe ipſa inuentione Reliquiarum, anno 1279 à cuius ſolo tempore potuit vera *Burgundorum* prodi hallucinatio. Auctores verò poſteriores ipſa inuentione, aut ſuſpecti ſunt, vt Caſſanæus Burgundus, & alij, aut in locis è Prouincia ita diſſitis ſcripſerunt, veluti S. Antoninus Florentinus, Petrus Equilinus Venetianus, Ioannes de Voragine Genuenſis (præterquam quod ſint antiquiſſimi) vt ad eos veræ hiſtoriæ noſtræ notitia non peruenerit.

Ad epiſtolas verò decretales & Bullas Pontificum, illud ipſum reſpondeo, quod aduerſarius pag. 60. reſpondet ad eas multas Bonifacij VIII. Benedicti XI. Ioannis XXII. Gregorij XI. Martini V. Eugeni IV. Nicolai V. & aliorum fere omnium Pontificum, vſque ad Vrbanum VIII. quos pro ſe allegant Sammaximiaenſes, videlicet; *Hæc mera facti non dogmatis quæſtio eſt, ex hominum teſtimonijs pendens.*

in quo poteſt quiſque ſanctiſſimus, atque doctiſſimus Fidei Orthodoxæ profeſſor aliquando falli. Solent enim Pontifices concedere & reſpondere iuxta petita: & licet illis loquentibus è cathedra, quoad res Fidei & morum, non contingat error, in rebus tamen facti aliter ſentiunt Theologi, vt ſupra inſinuaui. Quod ſi cui hæc non ſatisfaciant, ad ſopiendam antiquam illam inter Vezeliacenſes & Sammaximinenſes litem, placet illa qua Spondanus ſupra in hac re vtitur Iuriſconſultorum formula: *Poſſideant vtique vt poſſident, & ſit Deus in omnibus benedictus.*

§ 15. *Parænesis ad reijciendam erroneam, & veram amplectendam opinionem: itemque ad Fidem, pietatem, & cultum erga antiquos Cælites Prouinciæ.*

ET hæc ſunt quæ pro vindicijs Fidei & pietatis noſtræ patriæ (Comprouinciales chariſſimi) erant dicenda, à quibuſdam alijs forſan longiori & latiori ſyrmate: à nobis vero contractiori quo potuimus intra limites epiſtolæ, dicta diſcurſu: Interim *nemo vos ſeducat inanibus verbis*, Fidem veſtram & pietatem erga parentes veſtros euacuando; *Rogamus*

Theſſ. *autem, vos Fratres, vt non cito moueamini à veſtro*
. 1. *ſenſu*, nec ab antiquis veſtrorum patrum traditionibus, *neque terreamini neque per ſpiritum neque per ſermonem.*

Quaſi vero veſtrarum fœlicitatum æmuli, vobis velint perſuadere Sanctos veſtros Tutelares nunquam in Prouincia fuiſſe, & alibi
Mathæi
. 23. obiiſſe. *Si quis enim vobis dixerit, ecce hic eſt* Lazarus, Martha, Magdalena, Maria Iacobi & Salome, *aut illic, nolite credere: ſurgent enim Pſeudo*-Catholici, & Antidicomagdalenitæ, *& dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto* Cypri Lazarus obiit, & ſepultus eſt, *nolite exire. Ecce in penetralibus* Epheſi Magdalena obiit, & ſepulta eſt, *nolite credere.* Ecce Martha & Maria Salome Ieroſolymis obierunt, & ſepultę ſunt, *nolite credere.* Ecce Maria Iacobi Vetulanis iacet, *nolite credere*: ſunt enim iſta præ-
Theſſ. ſtigiæ, ſpectra, aut phantaſmata.
15. Sed potius *Fratres ſtate in fide, & tenete traditiones* patrum veſtrorum, *quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, qua vobis ſignificamus Lazarum, Magdalenam, Martham, Maximinum, Mariam Salome & Iacobi in Prouinciam aduenisse, ibique piè in Domino obdormijſſe, noſque non ſubdititias ſed veras iſtorum Sanctorum omni pietate co-

lendas habere Reliquias. Quæ opinio ſummam Dei erga nos charitatem commendat, pietatem fouet, pacem & tranquillitatem in noſtris Eccleſijs conciliat: *Hæc doce & exhortare* (inquit Apoſtolus) *quod ſi quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus eius quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt., nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones, malæ conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati ſunt.* 1. Tim. 6. 3

Fidei addatur pietas & cultus erga Sacra ipſorum Cælitum Lipſana, tùm vt Deo maiores agantur gratiæ, ob tale beneficium Prouinciæ collatum, tùm vt illorum auxilium in tempore opportuno efficacius perſentiamus: *vt enim Fides ſine operibus otioſa aut mortua eſt*, ita SS Reliquiæ ſine cultu & veneratione, aut inuocatione, vt plurimùm ſunt inefficaces & otioſæ. Et ſicut Lazarus, Martha & Magd. dùm viuerent à Chriſto fuere dilecti; *diligebat autem Ieſus Marthum, & ſororem eius Mariam, & Lazarum*, ita eoſdem à Chriſtianis poſt illorum exceſſum fas eſt eſſe diligendos & colendos. Adde quòd cùm ſit vnicuique noſtrum à primis naturæ principiis inditum, vt parentes ſint honorandi, iiq; Cęlites verbo Fidei in Chriſto nos peperirint, ſane maiori omni quo poſſimus Iacob 20 Ioan 11.

affectu à nobis ſunt amandi, colendi, & lau-
cluſ. dandi: *Laudemus viros glorioſos & parentes no-*
r. 1. *ſtros in generatione ſua.* Valete chariſſimi, ſtate ſemper in Fide, ſpe, & charitate erga parentes veſtros. *& Deus ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute Spiritus Sancti.* E Muſæolo noſtro S. Iacobi, 11. Calend. Auguſti Beatæ Magdalenæ ſacro, anno Domini M.DC.XLIV.

FINIS.

EDICTVM

SENATVS AQVENSIS.

Aduerſarij Libellum damnantis.

SVR ce que le Procureur du Roy à repreſẽté que la cenſure du Liure intitulé *Diſquiſitio Diſquiſitionis de Magdalena Maſsilienſi aduena*, faite par la Faculté de Theologie, & Vniuerſité de cette ville d'Aix, en ſuite de l'Arreſt de la Cour, luy ayant eſté remiſe, il a remarqué qu'elle eſtoit fondée ſur ce que les opinions ſouſtenuës audit Liure, panchoient à l'hereſie, ébranloient les anciennes traditions de l'Egliſe, choquoient la croyance commune des Fideles, & dérogeoient à la veneration qui eſt deuë à Saincte Magdalene, & qu'outre les raiſons exprimées en ladite Cenſure, la nouuelle opinion que l'on

veut introduire, renuerſe tout ce qui eſt contenu aux Breuiaires des Egliſes de cette Prouince, & diminuë par ainſi la foy que l'on doit adjouſter à ce qui eſt dit en l'Office diuin ; Que d'ailleurs ledit Liure contient vne fauſſe doctrine, contraire à la verité d'vne tradition immemoriale, confirmée par la fondation de tant d'Egliſes, par l'impoſition des noms de tant de villes de ce Pays : Et partant, ce Traicté eſtant impie & ſcandaleux, & conduiſant inſenſiblement & par diuers degrez au meſpris des traditions appreuuées & reçeuës de l'Egliſe, & de là à l'hereſie : requiert au moyen de ce ledit Traicté eſtre condamné & ſupprimé. Veu ladite Cenſure dattée du troiſiéme Mars preſent mois.

Et tout conſideré.

LA COVR a declaré & declare ledit Traicté impie & ſcandaleux : ordonne qu'il ſera ſupprimé ; Fait inhibitions & deffences à tous Imprimeurs, Marchands Libraires, Colporteurs, &

autres, de quelque eſtat, qualité & condition qu'ils ſoient, reſpectiuement : de l'imprimer, vendre, tenir, ny diuulguer, à peine de mil liures dés à preſent declarée, applicable moitié à l'Hoſpital S. Iacques de cette ville, & l'autre moitié à la reparation de la Saincte Baume, confiſcation deſdits Liures, & autre arbitraire. Enjoint à ceux qui ſont ſaiſis deſdits Liures, de les remettre incontinent & ſans delay : Et a permis & permet audit Procureur general du Roy de faire la viſite des Boutiques des Imprimeurs, & faire ſaiſir par le premier Huiſſier requis, tous les exemplaires qu'il y trouuera. Ordonne en outre que la Feſte de la Saincte Marie Magdaleine ſera obſeruée comme elle l'a touſiours eſté ; Fait inhibitions & deffences à toutes perſonnes de trauailler ledit iour dans la ville, ſur peine de punition exemplaire. Et ſera le preſent Arreſt deliuré audit Procureur general du Roy, pour le faire publier en cette

M

ville d'Aix, & autres villes & lieux que beſoin ſera, afin que perſonne n'en pretende cauſe d'ignorance. Publié à la Barre du Parlement de Prouence ſeant à Aix, le dix-ſeptiéme Mars mil ſix cens quarante quatre.

Collation eſt faicte.

Signé, ESTIENNE.

Digitized by Google

INDEX.

§. 1. *Occaſio, genius, & ordo ſcribendi*, pag. 3.

§. 2. *Exponitur vera hiſtoria aduentus B. Magdalenæ & aliorum in Prouinciam*, pag. 9.

§. 3. *Probatur aduentus Magdalenæ & aliorum in Prouinciam argumentis negatiuis*, pag. 20.

§. 4. *Probatur aduentus Magdalenæ in Prouinciam argumentis & rationibus hiſtoricis*, pag. 23.

§. 5. *Probatur hic aduentus argumentis ex ratione deductis*, pag. 104.

§. 6. *Reſpondetur argumentis contrarijs negatiuis*, pag. 111.

§. 7. *Reſpondetur argumentis contrarijs poſitiuis & vniuerſalibus*, pag. 121.

§. 8. *Reſpondetur argumentis contrarijs particularibus, & primo his quæ ſunt contra S. Maximinum.* pag. 124.

§. 9. Reſpondetur argumentis quæ ſunt con-
tra S. Lazarum *Maſſilienſem*, pag. 128.

§. 10. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra B. Magdalenam Maſſilienſem & Aquenſem*, pag. 140.

§. 11. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra Mартham Taraſconenſem*, pag. 151.

§. 12. *Reſpondetur argumentis quæ ſunt contra Marias* Iacobi *&* Salomes *Arelatenſes*, pag. 154.

§. 13. *Reſpondetur argumentis ex ratione deductis*, pag. 159.

§. 14. *De SS.* Lazaro *Heduenſi & Magdalena Vezeliacenſi*, pag. 163.

§. 15. *Parœneſis ad reiiciendam erroneam & veram amplectendam opinionem: itemque ad fidem, pietatem, & cultum erga antiquos Cœlites Provinciæ*, pag. 171.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

AD cultum erga D. Magdalenæ Reliquias retinendum, non parum confert Tractatus cui titulus eſt, *Vindiciæ Fidei & Pietatis Prouinciæ pro Cælitibus illius Tutelaribus reſtituendis*, *Auctore* HONORATO BOVCHE *Doctore Theologo*: ſi iuris publici fiat, cùm & vocatum nuper in dubium Beatiſsimæ Pœnitentis in Gallias & Maſsiliam appulſum validiſsimis ex multiplici capite petitis argumentis confirmet: nec quidquam vel Orthodoxæ Fidei contrarium, vel ab hiſtorica veritate alienum contineat, ſed verè Chriſtianam pietatem ſapiat, & authoritate grauiſsimorum Scriptorum, ac omnium ſæculorum conſenſu probatiſsimam doctrinam à quorumdam nouatorum calumnijs vindicet, quem propterea publica luce digniſsimum cenſemus. Aquis 8. Calend. Auguſti, anno 1644.

P. AILHAVD Theol. Doctor, & Aquenſ. Vniuerſit. Borbonicæ Profeſſor primus.

I. B. MICHAELIS Theol. Doctor & Canonicus Eccleſiæ S. Saluatoris Aquenſis.

PONCI Theol. Doctor, & Beneficialis eiuſdem Eccleſiæ.

Permiſsio.

NOS ANTONIVS D'ARBAVD Dominus DE BARGEMON, Prępoſitus Eccleſiæ Metropolit. S. Saluatori Aquenſis, & eiuſdem Archiepiſcopatus, Sede vacante, Vicarius generalis & Officialis. Viſis Sacræ Theologiæ Doctorum approbationibus Libri, cui titulus eſt, *Vindiciæ Fidei & Pietatis Prouinciæ, pro Cælitibus illius Tutelaribus reſtituendis. Auctore HONORATO BOVCHE Doctore Theologo.* Typis mandari permittimus, præmiſſa Doctorum approbatione. Datum Aquis ſub ſigno & ſigillo, die 27. Iulij an. 1644.

A. ARBAVD. DE BARGEMON
Vicarius generalis & Officialis.

ERRATA.

Pag. 29. *lin.* 6. facta, *lege*, factæ.
Pag. 32. *lin.* 12. illum, *lege*, illud.
Pag. 36. *lin.* 25. Archiepiſcopo, *lege*, Archiepiſco
Pag. 62. *lin.* 2. regnant *lege* regnante.
Pag. 71. *lin.* 16. *Poſt nomen* illæ, *adde* duæ ſchedul
Pag. 69. *lin.* 2. autumor, *lege*, autumo.
Pag. 85. *lin.* 1. *dele*, &
Pag. 92, *lin.* 13. ante, *lege*, circa.
Pag. 117. *lin.* 9. quando, *lege*, quomodo.
Pag. 131. *lin.* 7. *Poſt* Conſtantin *adde* oratione de ead. r
Pag. 135. *lin.* 17. multum, *lege*, nullum.
Pag. 145. *lin.* 1. præ, *lege*, pro.
Pag. 147. *lin.* 7. Virodunenſis, *lege*, Virdunenſis.
Pag. 151. *lin.* 6. *Poſt illa verba* ſeniori illi, *adde*, recte, &c
Pag. 155. *lin.* 17, dicamus, *lege*, dicamne.
Eadem pag. lin. 18. *dele* in.
Pag. 156. *lin.* 24. quid, *lege*, quod.
Pag. 158. *lin.* 10. miræ, *lege*, meræ.
Pag. 161. *lin.* *vltima*, diſceptum, *lege*, diuerſum.
Pag. 164. *lin.* 14. quas, *lege*, quos.
Pag. 166. *lin.* 20. verò, *lege*, voco.
Eadem pag. lin. 28. è ciuitate Heduenſi, *lege*, in ciuitate.
Pag. 173. *lin. vlt.* ius, *lege*, nos.
In approbatione Doctorum, Beneficialis, *lege*, *Beneficiatus* eiuſdem Eccleſiæ.

Digitized by Google